


EPISTULA LEONINA

CCLXXXV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM QUINTAM (285)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-05
ET IN TERRA PAX.....	06
CARMEN MAURI PISINI POETAE LAUREATI:	07
QUOMODO VISITATI SIMUS SANCTA NOCTE (Bittner, LL)	08-11
TRES REGES OBSCURI (Borchert, LL)	12-14
PANIS (Borchert, LL)	15-17
HOROLOGIUM CULINARE (Borchert, LL)	18-20
IN NIVE IN NIVE PURA: VIA CONORUM (Borchert, LL)	21-22
AT NOCTE RATTI DORMIUNT! (Borchert, LL)	23-25
DEMOSCOPIA THESAURI LINGUAE LATINAE.....	26-27
BARBARIZAS (Rosenthal?)	28
KANNITVERSTAN (Hebel, LL)	29-32
ORATIO JOANNIS CAROLI ROSSI INVECTIVA.....	33-39
GABRIEL ROLLENHAGIVS.....	40
CHRONOGRAMMATA (Rößler)	41-129
ECHUS VOCES & EPISTULAE.....	130-184
<i>Christianus Laes Praeses ALF (130-133) – Gaius Licoppe Nestor ALF (133-134) - Lydia Brighi Coeditrix (134-135) - Naevius Sartorius (136-149) - Alexius Vestigiarius (149-150) – Ansgarius Osloensis (150-154) - Marcus Cristini Brixianus (154-158) – Joannes Carolus Mediolanensis (158-161) – Victorius Ciarrocchi Pisarenensis (161-162) – Maximilianus Pulcher Mystagogus (162-167) - Radulfus Bonaëropolitanus (167-169) – Maurus Poeta Laureatus (169) – Johannes Petrus Batavus (169-172) – Horatius Antonius Poeta Laureatus (173-176) - Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus (176-181) – Gustavus Tavares Bellihorizontensis (181-183) – Guglielmus Monetti Plinianus (183-184)</i>	
EPISTULA CHRISTIANI LAES.....	185-186
CERTAMEN QUIRINALE.....	187
MARCUS CRISTINI LECTORIBUS EPISTULAE LEONINAE S De conspectu poetarum Latinorum nostri saeculi componendo	188-189
LIBRI LEONIS LATINI.....	190-193

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

*quomodo te habes? Anno MMXXIII exeunte rectène vales? Utinam **DIES NATALICIOS** degeris iucundè et salutariter!*

Denuo Leo tibi praebet Cornu Copiae et Saturam Lancem: Lectionem utinam ne asperneris: magna est varietas, quia delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum delicatissimum.

*Fruere **CARMINE NIVALI**, quod ingeniosè pepigit MAURUS PISINI. Nuper in Germaniâ per tres ferè dies ceciderunt plumae nivales pulcherrimae. Quidam pseudometeorologus climatomanicus iam ante 20 annos praedixit in Germaniâ non iam fore ullas hiemes, quibus caderet nix – o quantus error! Similiter erravit Gretula Suetiae prophetissa climatica, quae iam saepius falsum praedixit diem interitûs mundi abundantia carboni dioxidi effecti. Errare humanum est – Gretula est homo!*

*Duas **narratiunculas** Leo tibi nunc praebet **natalicias**; addidit nonnullas a **Volfgango Borchert** scriptas, quae sunt argumento admodum tristi, dictione austerâ, sed bene quadrant ad istam rerum tempestatem, quam*

mundus patitur. Puto his diebus homines in Ucrainiâ et in Laciniâ Gazeticâ versantes argumenta Borchertiana optimè intellegere. Tertio loco partis narratoriae Leo proponit argumentum hilarius, quod habent duae fabellae vario tempore scriptae: **"BARBARIZAS"** et **"KANNITVERSTAN"**. De fonte "Barbarizae" Leo dubitat. Nonne tu iam novisti hanc fabellam lepore simplicitatis praeditam? De narratiunculis hîc tibi praebitis scribe, cara Lectrix, care Lector, quidquid tibi in buccam venerit!

Orationem invectivam legas, quae spectat **ad Latinitatem in discrimen adductam**. Orator splendidus est **IOANNES CAROLUS ROSSI** architectus Mediolanensis veteranus propugnator Latinitatis vivae meritissimus. Itaque hoc opusculum, cara Lectrix, care Lector, plurimum tibi commendo!

Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix amatorve, **CHRONOGRAMMATA** Tobiae Rössler artificiosissima! Nam **VARIETAS DELECTAT**.

Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam **EPISTULAS ET ECHÛS VOCES** mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...

Denuo Leo te monet **CERTAMINIS QUIRINALIS**. Utinam quam plurimi iuvenes ingeniosissimi et Latinissimi nomen dent participando! -


*Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris – »sublimi feriam sidera vertice«. – Si agitur de quaestionibus litigiosis – semper studeas non solum thesi, sed etiam antithesi inveniendae; denique, mi care, fortasse feliciter continget, ut nos, tu et ego, unâ inveniamus *synthesin*! Sed quaecumque senseris, ne umquam obliviscaris proverbium Romanum: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!** Cara Lectrix, care Lector, ---*

**IN ANNUM MMXXIV INEUNTEM LEO LATINUS
TIBI EXOPTAT OPTIMA QVAEQUE!
OPTIMA VALETUDINE FRUARIS
ET FIAT »IN TERRA PAX«**

Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae

Die Papae Silvestri, 31. m.Dec. a.MMXXIII

ET IN TERRA PAX



**ΔΟΞΑ ΕΝ ΥΨΙΣΤΟΙΣ ΘΕΩ
ΚΑΙ ΕΠΙ ΓΗΣ ΕΙΡΗΝΗ
ΕΝ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ ΕΥΔΟΚΙΑΣ**

**GLORIA IN ALTISSIMIS DEO
ET IN TERRA PAX
• HOMINIBUS BONAE VOLUNTATIS**

CARMEN NIVALE

QUOD PEPIGIT MAURUS PISINI

NIX

Nix cadit insistens, ventis borealibus acta,
 et pungit gelidam faciem luditque capillis
 in quibus haeret iners, dum circum cuncta sequestrat
 formis sub nitidis per colles perque silentes
 arborum tractus, ubi linquit mollia tactu 5
 vellera, ceu xylon, in queis res confinia perdunt.
 Ob nivis, en, crepitum pini inclinantur et horti
 paulatim accipiunt tam miros nempe nitores,
 ut mare tum simulent cum multis protinus undis,
 at glacie immotis. Ita, candor complet eremas 10
 urbis ubique vias et presso murmure vibrat
 quod fluit insonum eis, nisi flat, lateque coronat
 tecta sacrosque tholos, dum plumae, caelitus actae,
 mutant omnino plateas in candidum amictum.
 Qui nitor est quoque vox hiemis cui subiacet omnis 15
 tellus: nam, fert huic requiem, sed frigus acutum
 ramis, pro foliis, et in ipsis usque moratur
 donec, humi illabens, leviter praebere videtur
 se merulae, quae calcat eam, dum quaeritat escas
 nec timet esse homines neque eorum nempe vehicla 20
 quae sine vi apparent. Dein, postquam excessit ab urbe,
 nix reddit ruris spatium leve et infinitum,
 alba id veste tegens, dum nos comitatur ad aedes
 lapsu sub magico, floccis aut percutit albis
 ac movet, ultra oculos, divinum in corde stuporem. 25

QUOMODO VISITATI SIMUS SANCTA NOCTE

Narratur res brevi tempore post bellum facta; quam narratiunculam theodiscê scripsit Wolfgang Bittner, Latinê reddidit Leo Latinus.

Foris inter tuguria iacebat tenue stratum nivis; frigora erant et tenebrae iam ingruerant horâ quartâ postmeridianâ. Fuit hiems illa esurialis anni 1946, primo anno post finem belli. Frigebamus, quamquam sellas nostras quam proximê admoveramus ad fornacem, capsam longitudinalem ex laminis metallicis constructam, quam vocabamus *saganam ustoriam*; in eâ ardebat ignis turfaceous. Mater mea attulit opertoria, quibus nos involvimus.

In foci laminâ positae erant quattuor quadrae panis, quas soror mea egoque custodiebamus oculis famelicis. Cum eaedem tandem in utroque latere essent coloratae, omnis nostrum accepit talem quadram tostam, cui digitum allii infricuimus. Pater meus: „*Odorem quidem*“ inquit, „*numquam amavi*“. Consideratê masticans visus est saporem allii indagare addens verba: „*At sapit mirabiliter!*“ Idem nobis annuit crus sinistrum bello vulneratum scabillo imponens.

Respondi: „*Bene sapit, sed parum est*“. Circa stomachum mihi sonabat ex pluribus diebus, nam cenam veram, tantam, quantâ saturabamur, iam diutius non habueramus. Mater me consolans: „*Postea*“ inquit „*candelâ accensâ accipietis etiam sorbitiunculam sapidam*“. Nam eadem comperserat nonnulla poma terrestria et miculam adipis, necnon napocaulum. Itaque matrem volui adiuvere coquentem, quod impatienter exspectabam.

Adversus egestatem nostram in lumine incerto bulbi electrici e lacunari dependentis haud iniucundê circa fornacem consedebamus. Mater mea coepit nobis narrare fabellam, quod saepe et libenter faciebat. Nam eadem fuit narratrix ingeniosa et multas noverat fabellas, quae plerumque agebantur in Silesiâ, unde anno ante veneramus. Sed pater meus iam antea fuerat in castris, quae originaliter fuerant valetudinarium, in quo curabantur milites vulnerati.

Hac fabellâ agebatur de fodinariis, qui in montibus effodiebant lapides metallaque pretiosa. Iidem viri penitus sub terrâ in cuniculo angusto lapides et metalla e saxo expellebant. Aliquando auditus est quidam crepitus submissus et fremitus, qui paulatim et gradatim augebatur, usque dum cuniculus collaberetur magno cum fragore. Introitus est obrutus, lanternae sunt exstinctae et circa fodinarios nihil iam fuit nisi tenebrae imperviae atque impenetrabiles. Per duos dies iidem in summam

anxietatem adducti nihil potuerunt nisi exspectare. Tum subito unus ex iis animadvertit luculam lampadi fodinariae haud absimilem in cuniculo exeunte lucentem. Idem autem vir: „*En Spiritum Montanum!*“ vocavit „*is nobis dat signum!*“ Deinde properê viri per rudera disiecta et ligna et trabes diffractas repserunt versus lucem coruscantem, cui paulatim appropinquabant. Denique ante eos apertus est exitus necessitatis, ut conspicerent lumen diurnum.

Cum mater finivisset, aliquamdiu fuit silentium. Tum autem sororcula mea: „*Bene accidit, ut miseri fodinarii servarentur a Spiritu Montano*“.

Deinde pater: „*Rectê dicis, illi reverâ fuerunt pauperes, illo tempore in Silesiâ. Qui cottidie debebant descendere in tenebras et tantulum accipiebant salarii, ut vix possent nutrire familias suas.*“

His auditis sororcula sciscitans: „*Verumne illi*“ inquit „*etiam pauperiores fuerunt quam nos?*“ - Deinde mater: „*Puto illos multo etiam pauperiores fuisse quam nos. Necnon semper timuisse, ne inciderent in infortunium.*“

Equidem animo fingebam illos fodinariis in cuniculis tenebrosis versantes, cum subito aliquis ianuam pulsavit. Pater autem murmuravit: „*Quisnam advenit ipsâ hac horâ?*“ et surrexit. Tum ego „*Is certê est Vir Natalicius!*“ cogitans ianuam accurri et aperui. Reverâ autem in tantis nivibus, quanta interim coeperant ex caelo decidere, vir ibi stetit amiculo cucullato indutum, quod erat nive obtectum. Qui duos vidulos deposuerat, quos nunc resumptos intulit. Tum audivi patrem meum vociferantem: „*Babae, mi Helmode! - tu vivis et vales!*“

Visitor mysterialis amiculum quassit, ut nivem abiceret et parentes meos amplexus est. Is vir fuit frater patris mei, qui num adhuc viveret, parentes nesciverant. Consedimus ad mensam, ubi plus erat luminis, et patruum rogavimus, ut narraret, quid sibi factum esset et unde venisset. At vix coeperat narrare, cum subito prosiluit, ut aperiret unum ex vidulis. Apparuerunt complures botuli, caro bubula muriatica, caseus, oryza, collyrae, pyxides pomis completae, duae lagoenae vini, dulciola necnon magnus panis albus.

Patruus autem nobis exoptavit „*Laetum Natale Domini!*“- „*Ni fallor, hodie est Sancta Nox.*“ Idem autem distribuit crustula Anglica et socolatam et coepit arancium deglubere. Oculi sororis meique umectavere. „*Cavete, ne nimium comedatis nimis celeriter!*“ mater nos monuit, „*alioquin laborabitis ex stomacho et alvo solutâ. Cum diu non habuerimus cenam completam, necesse est stomachum assuefieri ad copiam ciborum digerendam.*“

Patruus narravit se brevi post finem belli accepisse munus interpretandi apud Canadianos. „*Qui*“ inquit „*agunt iustê atque liberaliter, et quod attinet ad cibos*

comedendos, bene curant.“ Digito victualia a se allata indicavit et ridens addidit: „*Videtis mihi contigisse, ut afferrem nonnulla mihi relictâ.*“ Patruus adhuc anno 1944 exeunte vulneratus erat: „*Glande sclopeti bracchio iniectâ òs fractum est.*“ Umeris concussis dixit vulnus bene consanuisse, sed bracchium nunc esse nonnullis centimetris brevius. „*Tamen ista res non tam infeliciter evasit quam evadere potuerat: Nam vulneratum est bracchium sinistrum, sed scis me non esse scaevam. Nunc quandocumque novam camisiam aut iaccam accipio, semper mihi brevianda est manica sinistra.*“

Patruus animadverterat patrem claudicare. Itaque rogavit: „*Quid tibi accidit?*“, et pater rettulit de vulneratione sui. Is enim granati fragmento percussus per septimanas in valetudinario iacuerat in vitae periculum adductus. Etiam pater dixit rem sibi non tam infeliciter evasisse quam evadere potuisset. Nam sibi contigisse, ut medico militari persuaderet, ne crus suum amputaret. Praeterea ipsâ vulneratione se - nec aliter ac patruum meum - evitavisse captivitatem.

Interim hora tantum processerat, ut fame denuo exortâ ad res praesentes reduceremur. Cum patruus etiam botulos secum attulisset, fieri potuit, ut pomis terrestribus et napocae et adipe necnon uno ex botulis carnosus adhibitis coqueremus sorbitionem delicatissimam. Mensa secunda fuerunt nobis panis albus caseo Batavico obtectus, deinde mâla persica ex pyxide sumpta. Tam bene iam diu non valueramus. Post hanc cenam pollucibilem patruus meus lagoenam aperuit vini, quod biberent ipse meique parentes. Nobis autem parvulis licuit vigilare et bibere theam dulcem et auribus fervidis auscultare adulatorum narrationes.

Postea mentio incidit de avo et aviâ, qui etiam ex Silesiâ expulsi nunc vivebant in Saxoniâ, i.e. in zonâ a Sovietis occupatâ. Hoc patruus nondum sciverat; qui voluit studere, ut sibi permetteret illos visitare. Membra familiae nostrae, quae antea magna fuerat, nunc – quatenus adhuc vivebant – erant *in omnem ventum dispersa*. At illo vespere nos superstites denuo inter nos coniuncti eramus. Feliciter concelebravimus Sanctam Noctem. Recordanti hoc mihi videtur fuisse unum ex pulcherrimis festis nataliciis, quae umquam expertus sum. Tamen deinde etiam nonnulli anni elapsi sunt, usque dum memoria terrorum belli paulatim evanesceret.



*Wolfgang Bittner est auctor multorum librorum, inter quos est fabula
romanica, quae inscribitur „Patria et Bellum et Occidens Aureus“ („Die
Heimat, der Krieg und der Goldene Westen“).
Edita est in domo editoriâ „zeitgeist“ a.2019.*

<https://wolfgangbittner.de>

TRES REGES OBSCURI

Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.



Vir caligabat per suburbium obscurum. Domûs caelo obstabant abruptae. Luna deerat et via strata videbatur terri gradu pedum serotino. Deinde vir invênit plancam veterem. Quam pede impellebat, usque dum asser marcidus ingemiscens abrumperetur. Lignum odore erat molli et dulci. Vir per suburbium obscurum domum caligavit. Stellae non adfuerunt.

Cum vir ianuam aperiret (quo eadem sonum edidit flebilem), aspectus est ab oculis uxoris subcaeruleis. Qui prospexerunt ex facie fatigatâ. Tantum erat frigus, ut spiritus hominum in aère conclavis albescens suspensus esse videretur. Vir osseo genu suo flexo lignum diffregit. Lignum gemuit. Deinde circumcirca odor diffundebatur mollis et dulcis. Vir fragmentum ligni naribus supposuit et submissê ridens dixit: „*Hoc fragrat paene tam bene quam placenta.*“ Uxor autem oculis suis indicavit, ne vir rideret. Infantulum dormire.

Vir lignum dulce et molle imposuit parvae fornaci laminatae. Quod ibi ignescens per conclave coniecit volam luminis calidi. Quae lucida cecidit in pusillam faciem rotundam ibidemque paulisper remansit. Quae facies unam tantum horam nata erat, sed iam omnes habuit partes necessarias: aures, nasum, ôs, oculos. Oculos esse magnos apparuit, quamquam erant clausi. Sed ôs erat apertum et inde eius anima submissê ducebatur. Nasus et aures erant colore rubro. Mater cogitavit infantulum vivere. Et facies parva dormiebat.

Tum vir: „*Adsunt adhuc flocci avenacei.*“ Mulier: „*Qui adsunt et hoc bonum est. Frigeo.*“ Vir iterum sumpsit aliquid de ligno dulci et molli. Et cogitavit: „*Nunc peperit infantulum, et friget.*“ Sed nullum habuit hominem, cuius in faciem pugnos

impelleret hac de causâ. Portulâ fornacis apertâ iterum vola lucis cecidit in faciem dormientem. Mulier dixit submissê: „*En aspice lucem – nonne similis est nimbo, viden‘?*“ - Vir cogitavit „*nimbus!*“ nec habuit, cuius in faciem impelleret pugnos suos.

Deinde nonnulli homines venerunt ad ianuam. Qui dixerunt: „*Vidimus lucem ex fenestrâ splendentem. Velimus considerare et per decem minutas manere*“.

Vir iis dixit: „*At nos habemus infantulum*“. Tum illi nihil iam dixerunt, sed tamen venerunt in conclave, nebulam ex naribus efflaverunt et pedes sustulerunt. Et susurraverunt: „*Nos sumus perquam quieti*“ et pedes sustulerunt. Deinde lux in eos cecidit.

Qui fuerunt tres viri tribus vetulis vestibibus uniformibus induti. Unus habuit scatulam chartonaceam, alter saccum, tertius expers fuit manuum. Qui truncos brachiorum tollens: „*Vi frigoris*“ inquit „*manûs ambustae sunt*“. Deinde viro saccum amiculi admovit. Cui infuit tabacum et chartula tenuis. Tabaco involvendo efformaverunt sigarella. At mulier dixit: „*Nolite fumare, quia adest infantulus.*“

Tum quattuor viri ierunt ante ianuam eorumque sigarella fuerunt quattuor puncta in nocte lucentia. Unius pedes fuerunt pannis crassis circumvoluti. Qui e sacco sumpsit lignum et „*En asinum*“ inquit, „*quem exsculpsi per septem menses. Dono eum infantulo*“. His dictis figuram dedit viro. Idem rogavit: „*Quid de pedibus tuis?*“ - „*Qui sunt aquosi*“ respondit sculptor asini, „*quod fame factumst.*“ - „*Et quid de alio, de tertio?*“ vir rogavit in tenebris asinum attingens. Tertius veste uniformi indutus tremens susurravit: „*Oh, nil insoliti, ex nervis laboro. Nimis saepe timore vexatus sum.*“ Deinde sigarellorum ciccis candentibus calcando extinctis iterum domum intraverunt.

Pedibus sublatis viri aspexerunt faciem parvam dormientem. Vir tremulus duo dulciola ex scatulâ chartonacê sumpsit et dixit: „*Haec dones uxori*“.

Mulier oculos subcaeruleos latê aperuit, cum conspiceret tres viros obscuros capitibus declinatis ad infantulum conversos. Nam timuit. At tum infantulus pedibus matris pectori appressis tam fortiter clamavit, ut tres viri obscuri pedibus sublatis ad ianuam reperent. Ibi hospitibus iterum annuerunt, deinde penetraverunt tenebras nocturnas.

Vir illos abeuntes oculis prosecutus est. Uxori dixit: „*En quam miros viros sanctos*“. Deinde ianuam clausit. „*Sanê belluli viri sancti sunt illi*“ fremens quaesivit floccos avenaceos. At nulla facies ei fuit, quam impelleret pugnis suis.

„*At infantulus clamavit*“ mulier susurravit, „*fortissimê clamavit. Tum illi abierunt. En vide, quam vivax sit!*“ dixit superbê. Infantulus autem ore aperto clamavit.

Vir rogavit: „*Fletne?*“

„*Non flet, puto eum ridere*“ mulier respondit.

Vir: „*Paene*“ inquit „*tam bene fragrat quam placenta*“ et nasum ligno admovens vocavit „*Quam suaviter fragrat!*“

Mulier autem: „Hoc“ inquit, „*optimê quadrat. Nam hodie est Natale Domini*“.
Bene, hodie est Natale Domini, vir fremuit et ex fornace vola lucis lucida cecidit in
parvam faciem dormientem.

„TRES REGES OBSCURI“

scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.



WOLFGANG BORCHERT
(1921-1947)

PANIS

Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.


Subito mulier ex somno est excitata. Fuit hora secunda cum dimidiâ. Mulier deliberavit, quare excitata esset. *Ah, nunc scio! In culinâ aliquis impulit sellam.* Mulier aures arrexit versus culinam. Silentium erat. Nimum erat silentium, et manu læctum iuxta se positum perstringens invênit eundem vacuum esse. Haec erat causa, quâ tantum factum esset silentium; deerat spiritus viri. Mulier surrexit et per habitaculum obscurum calîgavit ad culinam. In culinâ inter se convenerunt.



Horologium indicavit horam secundam cum dimidiâ. Mulier conspexit aliquid album, quod stabat ad armarium culinare. Mulier lumen accendit. Nunc inter se obstiterunt camisiis induti. Nocte. Horâ secundâ cum dimidiâ. In culinâ. In mensâ culinari stabat catinus panarius. Mulier vidit virum sibi quadram panis desecuisse. Culter adhuc iacebat iuxta catinum et in manteli iacebant micae panis. Cum vespere cubitum ibant, mulier semper purgabat mantele. Omni vespere. At nunc in manteli iacebant micae panis. Necnon culter ibi iacebat. Mulier sensit frigus lamnarum fictilium lentê animae suae arreperere. Et oculos a catino avertit. Vir: „*Cogitaram*“ inquit „*hîc aliquid accidisse*“ et per culinam circumspexit. - Mulier respondit: „*Ego quoque aliquid audivi*“ animadvertens virum nocte camisiâ indutum aspectu esse admodum senili. Quâ aetate nunc esset. Sexaginta tres annos natus. Lumine diurno virum interdum videri esse aetate minore. Vir autem cogitavit: „*Illa si camisiâ induta est, iam est aspectu anili. Sed hoc fortasse efficitur capillis. In mulieribus nocte hoc semper efficitur capillis. Quibus mulieres habent subito aspectum tam anilem*“. Mulier dixit: „*Quidni induisti calceos? Nocet transire frigidam lamnam pedibus nudis. Cave ne contrahas perfrictionem.*“ Mulier virum non aspexit, quia non passa est eum mentiri. Virum mentiri, cum connubio coniuncti essent ex undequadragesima annis. -



„Cogitaram hîc aliquid accidisse“ vir iterum dixit iterumque tam inaniter oculos ab uno angulo convertit in alterum, „audiveram hîc aliquid. Itaque cogitaram hîc aliquid accidisse.“ - „Ego quoque aliquid audivi. At videtur nihil accidisse.“ Mulier catino a mensâ remoto micas de manteli averrit. Vir aliquatenus incertus verba repetens: „Profecto“ inquit „videtur nihil accidisse“. Mulier virum adiuvens: „Redi. Certê illud foris factum est. Redi in lectum. Cave ne contrahas perfrictionem. Cum stes in lamnis frigidis.“ Vir oculos coniecit versus fenestram. „Apparet illud foris factum esse. Cogitaram factum esse hîc.“ - Mulier manum allevavit ad mutamen luminis. Quae cogitavit: „Lumen nunc mihi extinguendum est, alioquin non potero, quin aspiciam catinum. Non licet mihi catinum aspicere“. -



Lumen exstinguens „Redi ad lectum“ inquit, „illud certê foris factum est. Si ventus flat, stillicidium semper parieti appulsatur. Certê stillicidio strepitus factus est. Quod vento flante semper crepitat.“ Tum ambo per andronem obscurum calîgaverunt ad cubiculum. Pavimentum strepuit nudis pedibus calcatum. Tum vir: „Ventus flat profecto. Qui flat per totam noctem.“ In lecto cum cubarent, mulier dixit: „Ita est, ventus flat per totam noctem. Apparet strepitum effectum esse stillicidio.“ - Deinde vir: "Ita fuit. Cogitaram hoc factum esse in culinâ. Puto effectum esse stillicidio." Vir hoc dixit sic pronuntians, quasi iam esset semisomnus. At mulier animadvertit, quam falso sonaret vox viri, cum mentiebatur. Itaque dixit: „Frigeo“ submissê oscitans, „sub lodicem repam. Bonam noctem.“ - „Noctem“ vir respondit, „Verum est: bellulê

frigeo.“ Deinde fuit silentium. Post multas minutas mulier audivit virum cautê atque submissê mandere. Mulier consulto respiravit continuo et profundê, ne vir animadverteret se adhuc vigilare. Sed vir tam continuo mandebat, ut ipsa lentê obdormisceret.



Vir cum postridie vespere domum venisset, mulier ei apposuit quattuor quadras panis. Antea vir comedere potuerat tantummodo tres. Tum mulier a lampade secedens: *"Licet comedas"* inquit „quattuor quadras. Nam ego stomacho meo hunc panem non ita bene digero. Velim comedas cum unâ additâ. Equidem non ita bene digero.“ Mulier vidit virum caput catino admotum tenêre valdê demissum. Virum non suspicere ad se. Hôc momento temporis mulierem viri miseruit. Qui catino suo adversus: *"Non poteris"* inquit, „comedere duas tantum quadras.“ - *"Certê mihi sufficient, nam vespere panem non ita bene digero. Comedas. Comedas."* Aliquamdiu demum post mulier sub lampade consedit ad mensam.




„PANEM“

scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.

HOROLOGIUM CULINARE

Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.



Homines hunc iuvenem iam ex longinquo viderunt appropinquantem, nam aspectu fuit insolito. Eius facies erat persenilis, sed ex modo eundi apparuit eum esse vicenarium demum iuvenem. Qui facie senili praeditus consedit ad illos in subsellio iam sedentes. Deinde autem illis monstravit id quod secum manu tenebat.

„Hoc“ inquit „fuit horologium nostrum culinare“ et illos omnes aspexit unum post alterum, qui sedebant in subsellio apricantes. „Fuit illud, quod adhuc invêni. Quod est relictum“. Iuvenis rotundum horologium, quod erat candore catini, ante se manibus tenebat et summis digitis purgavit numeros colore caeruleo impictos.

More se excusantis addidit: „Scilicet me novisse idem nihil valere. Neque hoc horologium est eximiae pulchritudinis. Quod nihil est nisi catinus laccâ albâ oblitus. Tamen numeri caerulei nonne quadamtenus sunt belluli? Scilicet indices esse confectos ex vili laminâ metallicâ. Neque iam promoventur nunc. Non iam. Constat defecta esse horologii penetralia. Tamen aspectu adhuc est solito. Etiamsi non iam operatur.“

Nunc iuvenis summo digito cautê marginem horologii catinati circulatim perstrinxit. Et dixit submissê: „Et hoc relictum est.“

Homines in subsellio qui sedebant apricantes, eum non aspexerunt. Unus eorum aspexit eius calceos et mulier inspexit suum chiramaxium. Deinde aliquis dixit:

„Tune omnia perdidisti?“

Tum iuvenis laetê: „*Ita, perdidisti, fac me reverâ omnia perdidisse! Praeter hoc horologium, hoc est relictum*“. Sic dixit horologium manu tollens, quasi ceteri idem nondum novissent.

Mulier autem: „*At horologium*“ inquit „*non iam operatur*.“

„*Certê, haud ignoro hoc esse defectum, hoc bene nôvi. At ceteroquin hoc remansit tale quale semper fuerat: candidum et caeruleum*“. Et denuo iuvenis illis monstravit suum horologium. Et perrexit loqui animo excitato: „*Pulcherrimum autem quod est, vobis omnino nondum narravi. Pulcherrimum enim omnium adhuc restat narrandum: Fingatis indices horologii constitisse horâ secundâ cum dimidiâ. Fingatis eos constitisse horâ secundâ cum dimidiâ ipsissimâ*“.

Tum vir quadam cum gravitate labium inferius protendens: „*Ergo bomba incidit in domum tuam horâ secundâ cum dimidiâ. Quod iam saepe audivi. Si bomba decidit, desinunt promoveri indices horologiorum. Quod fit pressione*“.

Iuvenis autem horologium suum aspiciens quâdam superbiâ sumptâ¹ caput concussit: „*Nequaquam, care Domine, nequaquam, in hac re erras. Hoc nullo modo spectat ad bombas. Non debes semper loqui de bombis. Non. Horâ secundâ cum dimidiâ factum est aliquid omnino aliud, sed hoc tu ignoras. In eo enim est mucro rei enarrandae, quod indices horologii promoveri desierunt ipsâ hac horâ secundâ cum dimidiâ. Neque horâ quartâ cum quadrante aut horâ septimâ. Nam horâ secundâ cum dimidiâ ego solebam domum venire. Nocte. Ferê semper horâ secundâ cum dimidiâ. In eo enim est mucro huius rei narrandae*“.

Nunc iuvenis aspexit ceteros, sed iidem oculos a iuvene averterant. Quos non invênit. Tum idem horologio suo annuens: „*Deinde scilicet me esurivisse, nonne? Et semper statim ibam in culinam. Tum ferê semper hora erat secunda cum dimidiâ. Et deinde enim veniebat mater mea. Quamquam ianuam studebam aperire quam lenissimê, illa me audivit semper. Cum in culinâ tenebrosâ quaerebam aliquid quod comederem, subito lux est accensa. Tum mater ibi constitit iaccâ laneâ et amictorio rubro induta. Necnon nudis pedibus. Semper nudis pedibus. Quamquam pavementum culinae nostrae obtectum erat lamnis fictilibus. Mater autem valdê connivebat propter lucem praelucidam. Nam iam dormiverat. Multa iam nox cum esset. Tum dicebat: „*Etiâ tam sêro*“. Plura dicebat numquam. Nihil nisi: „*Etiâ tam sêro*“. Deinde autem cenam mihi recalefaciebat meque aspectabat comedentem.*

1 cfr Forcellini s.v. superbia: „**SÛPERBĪA**, ae, f. 1. (superbus) magnitudo, excellentia: occurrit autem A) Saepius in malam partem; et B) **Aliquando in bonam partem**. ... B) *Superbia, in bonam partem, est honor, decus, magnitudo animi*. I.) Proprie. *Horat. 3. Od. 30. 14. sume superbiam Quaesitam meritis*. Sic *Vulgat. interpr. Is. 60. 15. Ponam te in superbiam saeculorum. h. e. magnitudinem et gloriam tuam omnia saecula admirabuntur*. II.) Translate. *Plin. 15. Hist. nat. 15. 16. (53). Eadem causa in piris taxatur superbiae cognomine: parva haec sed ocissima. Vulgat. interpr. Jer. 49. 19. Quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulcritudinem robustam. h. e. sicut leo, quem intumescens Jordanis caverna sua expulit, in fertilem et abundantem agrum irrumpit. Ita Weitenauer ad h. v. Homonym. Qui differat *superbia* ab *arrogantia* et *insolentia*, V. sub v. **ARROGANTIA**.“*

Simul pedes suos unum alteri affricabat, quia lamnae figlinae erant praegelidae. Calceos mater nocte numquam induebat. Et tam diu apud me sedebat, usque dum satur essem. Et deinde eam audiebam catinos armario imponere, cum ego in conclavi meo lumen iam exstinxissem. Omni nocte haec fiebant. Et plerumque horâ secundâ cum dimidiâ. Hoc mihi videbatur esse prorsus cottidianum, matrem mihi nocturnâ horâ secundâ cum dimidiâ in culinâ cenam parare. Nam hoc semper faciebat. Nec umquam plura dixit nisi: ‚Etiam tam sero‘. Sed hoc dixit semper. Ego autem cogitabam hoc numquam posse finiri. Quia erat tam cottidianum. Haec omnia semper sic facta erant.“

Per spatium unius spiritûs in subsellio fuit silentium. Deinde iuvenis dixit: „*Et nunc?*“ et ceteros aspexit. Sed eos non invênit. Tum mediam in horologii faciem albi-caeruleam dixit: „*Nunc, nunc scio illud fuisse paradisum. Verum paradisum*“.

In subsellio vastum fuit silentium. Tum mulier rogavit: „*Et quid de familiâ tuâ?*“

Iuvenis mulieri leniter arrisit in quandam difficultatem adductus: „*Ah, rogas, quid factum sit de parentibus meis? Iidem quoque absunt. Omnia absunt. Omnia, finge animo omnia abesse. Omnia absunt.*“

Iuvenis difficile subrisit unum post alium aspiciens. Sed illi iuvenem non aspexerunt.

Tum is horologio etiam sublato risit. Et ridens: „*Nil*“ inquit „*nisi hoc adest. Hoc est relictum. Necnon id est pulcherrimum, quod indices horologii promoveri desierunt ipsâ horâ secundâ cum dimidiâ. Ipsâ horâ secundâ cum dimidiâ*“.

Deinde iuvenis nihil iam dixit. At facie erat persenili. Et vir iuxta eum sedens aspexit calceos eius. Sed iuvenis ipse calceos suos non vidit. Qui nihil iam cogitabat nisi verbum **paradisi**.



„**HOROLOGIUM CULINARE**“

scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.

IN NIVE IN NIVE PURA

Scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.



**Nos sumus lusores conorum.
 Nos ipsi sumus globus depulsans,
 sed sumus etiam coni decisuri.
 Via conorum, in quâ fiunt tonitrua,
 est cor nostrum.**

VIA CONORUM

Duo viri scrobem sibi foderant subterraneam. Quae erat satis spatiosa et paene commoda. Similis sepulchro. Satis tolerabilis.

Ante se positum tenebant sclopetum. Cuius rationem aliquis talem excogitaverat, ut eodem sclopetari posset in homines. Plerumque sclopetatores prorsus ignorabant homines, in quos sclopetabant. Ne linguam illorum intelligebant. Neque ab illis aliquid mali acceperant. At debebant sclopeto in illos sclopetare. Hoc aliquis imperaverat. Et ut satis multos illorum sclopetando interficerent, aliquis invenerat rationem, quâ sclopetari posset plus sexagies in unâ tantum minutâ. Idem inventor acceperat mercedem.

Altera scrobis fuit aliquanto a duobus viris remota. Ex eâdem prospexit caput, quod fuit particeps hominis. Quod caput instructum erat naso, qui poterat olfacere myri fragrantiam. Et oculis, qui videre poterant urbem aut florem. Et ore, quo poterat panem comedere et eloqui nomen *Ingae* aut matris. Quod caput duo viri viderunt, quibus datum erat sclopetum.

„*Sclópetá!*“, unus dixit.

Alter sclopetavit.

Tum caput erat destructum. Neque iam potuit olfacere myri fragrantiam neque videre urbem neque eloqui nomen. Neque umquam alias post.

Hi duo viri in scrobe fuerunt per multos menses. Et destruxerunt multa capita. Quae semper erant participia hominum, quos prorsus ignorabant. A quibus hi viri nihil unquam mali acceperant et quos ne intelligebant quidem. Sed aliquis excogitaverat sclopetum, quo sclopetari poterat plus sexagies in unâ tantum minutâ. Et alius hoc imperaverat.

Paulatim hi duo viri tot capita destruxerant, ut ex iisdem fieret magnus mons. Et cum hi duo viri dormiebant, capita devolvebantur. Ut fit in viâ conorum. Cum tonitru submisso. Quo duo viri e somno excitati sunt.

„*Sed imperatum est!*“ unus susurravit.

„*Sed nos fecimus!*“, alter clamavit.

„*Sed fuit horribile*“, unus gemuit.

„*Sed interdum hac re delectati sumus*“, ridens dixit alter.

„*Non!*“, clamavit is qui susurraverat.

„*Certê!*“, susurravit alter, „*Interdum eâdem delectati sumus. Talis est. Verê delectati sumus*“.

Per horas in nocte consederunt. Non dormiverunt. Deinde unus:

„*Sed Deus nos fecit tales*“.

Tum alter: „*Sed Deus*“ inquit „*potest excusari: Qui non exstat.*“

„*Deus non exstat?*“ primus interrogavit.

„*Haec est unica causa, quâ îdem excusatur*“, alter respondit.

„*Sed nos – nos exstamus*“, primus susurravit.

„*Ita est: nos exstamus*“, alter susurravit.

Duo viri, quibus imperatum erat, ut destruerent quam plurima capita, hac nocte non dormiverunt. Nam capitibus effectus est tonitrus submissus.

Deinde unus dixit: „*Et nos nunc hîc sedemus sclopetaturi*“.

Alter: „*Ita est*“ inquit „*nos nunc hîc sedemus sclopetaturi*“.

Tum unus vocavit: „*Praeparemus. Res denuo incipit*“.

Duo viri surrexerunt et sclopetum sumpserunt.

Et quandocumque hominem conspexerant, in eundem sclopetabant.

Et semper îdem erat homo, quem prorsus ignorabant. Et qui duobus viris nihil unquam mali fecerat. Tamen in eum sclopetabant. Ut hoc facerent, aliquis excogitaverat rationem sclopeti. Quâ inventâ acceperat mercedem.

Et aliquis – aliquis hoc imperaverat.

„**VIAM CONORUM**“

scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.

AT NOCTE RATTI DORMIUNT!

Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.



Fenestra cava muro desolato imposita maturo sole vespertino completa oscitabat caeruleo-rubra.

Nubeculae pulverulentae coruscabant inter truncos caminorum arrectos. Deserta rudera iacebant somniculosa. Puer oculos clauserat. Subito tenebrae ei visae sunt etiam obscuriores. Qui animadvertit aliquem advenisse et nunc ante se stare, obscurê, submissê. Puer cogitavit: *„Nunc me deprehenderunt!“* Sed cum paululum nictaret, nihil vidit nisi duo crura miserê bradata. Quae ante puerum stabant tam incurva, ut posset perspicere. Cum ausus esset paululum nictando praeter bracas suspicere, cognovit virum aetate provectionem. Qui manu tenebat cultrum et corbem. Eiusque digitis summis adhaerebat aliquantulum humi.

Tum vir: *„Tunc hîc dormis, nonne?“* rogavit despiciens in capillos pueri hirsutos. Georgius nictans trans crura viri in solem prospiciens: *„Non dormio“* inquit *„Debeo custodire“*.

Vir annuens: *„Ah video. Certê ut hoc facias, manu tenes istud baculum magnum, nonne?“*

„Hôc fine“ Georgius respondit animo capto baculum firmê tenens.

„Quamnam rem custodis?“

„Hoc mihi non licet dicere.“ Puer tenebat baculum firmê comprehensum. *„Certê pecuniam, nonne?“* Vir corbe deposito cultrum fundo bracarum huc illuc affricuit. Tum Georgius contemptim *„Nequaquam!“* inquit *„Non custodio pecuniam. Aliquid omnino aliud.“*

„Quidnam custodis?“

„Non licet mihi hoc dicere. Aliquid aliud“.

„Ergo habeas tibi. Scilicet me tibi non dicere, quid teneam hîc corbe inclusum“.

Tum vir corbem pede appulit et cultrem complicuit.

Nunc Georgius dixit contemptim: „Vah, facile divino, quid insit corbi tuo: pabulum cuniculorum.“

„Babae – ita est, rectê dicis!“ vir dixit obstupefactus. „Apparet te esse catulastrum callidum. Quotnam annos habes?“

„Novem“.

„Oha, babae, novem habes. Ergo certo scis ter novena quot sint, scin‘?“

Georgius dixit: „Scilicet“, et ut moram temporis sibi faceret, etiam dixit: „Hoc quidem est perfacile“. Et per crura viri transpexit. Et iterum rogavit: „Ter novena, nonne? Sunt viginti septem. Hoc statim sciveram“.

Deinde vir: „Hoc quadrat“ inquit, „et totidem cuniculi mihi sunt.“

Tum Georgius ore rotundato: „Verumne habes viginti septem?“

„Poteris eos videre. Multi eorum adhuc sunt perquam iuvenes. Vin‘ videre?“

Tum Georgius animo incerto: „Non licet mihi. Debeo custodire.“

Vir autem: „Semperne? Etiam nocte?“

„Etiam nocte. In sempiternum. Semper“. Georgius praeter crura incurva suspexit. Deinde susurravit: „Iam ex die Saturni“.

„Numquamne abis domum? Necesse est aliquid comedere“.

Georgius quendam lapidem sustulit. Apparuit panis dimidius. Et capsula metallica.

Vir rogavit: „Fumasne? Habesne fumisugium?“

Georgius autem baculo firmê comprehenso timidê dixit: „Fumo sigarella a me tabaco convoluto fabricata. Fumisugium non amo“.

Tum vir dorso versus corbem deflexo: „Hoc dolendumst. Cuniculi tibi certê placuissent. Imprimis parvuli. Fortasse tibi aliquem elegisses. At tibi non licet huc abire.“

Georgius tristis: „Non“, inquit, „non, non.“

Vir corbe sublato surrexit. „Doleo quod debes hîc manere“. Et se convertit. Tum Georgius celeriter dixit: „Noli hoc aliis prodere: Maneo propter rattos.“

Vir cruribus suis incurvis per unum gradum revertit: „Propter rattos?“

„Ita est. Isti enim arrodunt mortuos. Homines mortuos. Iisdem enim se nutriunt.“

„Quis hoc dicit?“

„Magister noster“.

Vir autem interrogavit: „Ideone tu nunc custodis rattos?“

„Istos nequaquam!“ Deinde autem puer dixit perquam submissê: „Custodio **fratrem** meum, qui cubet infra. Ibi“. Georgius baculo indicavit muros collapsos. „Bomba incidit in domum nostram. Subito in hypogeo lumen defuit. Et defuit frater meus. Quem vocabamus. FRATER multo minor fuit quam ego. Habuit quattuor demum annos. Necesse est eum adhuc hîc esse. Qui multo minor est quam ego.“

Vir autem despexit ad capillos pueri hirsutos. Sed deinde subito dixit: „Magister vester verumne vobis non dixit rattos nocte dormire?“

„Non“, Georgius susurravit, qui subito visus est perquam fatigatus, „Hoc nobis non dixit“. Tum vir: „En doctum sanê magistrum, qui ne hoc quidem sciat! Scilicet rattos nocte dormire. Itaque nocte nil te impedit, quin abeas domum. Nocte isti semper dormiunt. Iam tenebris se obducentibus ratti obdormiscunt.“

Georgius baculo in ruderibus delineavit alveolos. Qui cogitavit: „Hi sunt omnes lectuli, omnes sunt lectuli“. Tum vir (cruribus incurvis prorsus inquietis): „Scin quid facturi simus? Nunc celeriter pabulum dabo cuniculis meis, et tenebris ingruentibus veniam, ut te abducam. Fortasse aliquem ex cuniculis meis mecum apportabo. Fortasse catulum, an adultum – quid sentis?“

Georgius in ruderibus delineavit alveolos. „Hi sunt omnes cuniculi parvi. Albi, cineracei, albi-cineracei.“

Puer submissê dixit crura incurva aspiciens: „Nescio. Num isti reverâ nocte dormiunt?“

Vir per parietînas transgressus descendit in viam stratam. Illinc: „Scilicet“ inquit „rem ita se habere. Oportet magistrum vestrum vasa colligere, si ne hoc quidem scit.“

Tum Georgius surrexit et quaesivit: „Nonne mihi licet accipere aliquem cuniculum? Fortasse album?“

Vir autem iam profectus: „Conabor aliquem aptum invenire, sed oportet hîc me exspectes. Deinde tecum domum ibo, intellegisne? Debeo enim patri tuo dicere, quomodo construatur stabulum cuniculorum. Nam oportet hoc sciatis“.

Georgius vocavit: „Bene, exspectabo. Adhuc debeo custodire, usque dum obtenebrescat. Certê exspectabo.“ Et addidit haec verba: „Domi habemus etiam tabulas ligneas, tabulas cistarum.“

Sed vir haec non iam audivit. Is cruribus suis incurvis properabat versus solem iam rubore vespertino insignem. Crura autem tam incurva erant, ut Georgius videret eadem transiri a radiis solaribus. Et corbis excitatus huc illuc vacillabat. Cui inerat pabulum cuniculorum. Viride pabulum cuniculorum, quod pulvere ruderum obtectum paululum duxerat coloris cineracei.



„AT NOCTE RATTI DORMIUNT!“

scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.

DEMOSCOPIA THESAURI LINGUAE LATINAE: ELIGE VERBUM LATINUM ANNI 2023!

resistator - resocio - resplendor - respon - restinctor

BAYERISCHE AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN

Pressemitteilung 22/23

22. November 2023

Widerständler bis Auslöscher – Wahl zum Lateinwort des Jahres 2023 startet
Wer macht 2023 bei der Wahl zum Lateinwort des Jahres das Rennen? Bis zum 10. Dezember können alle Lateinbegeisterten über das lateinische Wort des Jahres abstimmen. Im Jahr 2022 rief das weltweit führende Lexikon des antiken Lateins, der an der BAdW beheimatete Thesaurus linguae Latinae („Schatzhaus der lateinischen Sprache“), erstmals zur öffentlichen Wahl zum Lateinwort des Jahres auf. Damals behauptete sich die klitzekleine *rescellula* („Säckelchen“) mit einer Mehrheit der knapp 600 eingegangenen Voten gegen ihre Mitstreiter und wurde damit zum [ersten Lateinwort des Jahres überhaupt gekürt](#). Nach dem großen internationalen Interesse im Vorjahr sucht der Thesaurus linguae Latinae auch 2023 das lateinische Wort des Jahres. Alle Interessierten können ab heute über das Lateinwort des Jahres (*vox anni*) abstimmen, die Abstimmung läuft online bis zum 10. Dezember: <https://parerga.hypotheses.org/2871>

Zur Wahl stehen die Lemmata *resistator* („Widerständler“), *resocio* („wiedervereinen“), *resplendor* („Widerschein“), *respon* („gegenüber“) und *restinctor* („Auslöscher“). Darunter befinden sich etwa die Berufsbezeichnung eines versklavten Hausangestellten aus Verona (*restinctor*), eine vermutlich von einem spätantiken Grammatiker frei erfundene Präposition (*respon*) sowie das Verb, dem modernen Begriff der Resozialisierung zugrunde liegt (*resocio*).

Um in diesen Finalistenkreis aufgenommen zu werden, musste jedes Wort drei Bedingungen erfüllen: Erstens konnten nur Lemmata berücksichtigt werden, deren Thesaurus-Einträge im Wahljahr veröffentlicht wurden bzw. noch zur Veröffentlichung kommen. Zweitens musste es sich um ein gänzlich „neues“ Wort handeln. Neu in dem Sinne, dass man es bisher in keinem gängigen Lexikon des antiken Lateins findet, wie etwa dem Oxford Latin Dictionary, Georges oder Gaffiot. Drittens wurde bei der internen Vorauswahl darauf geachtet, welche Wörter aus formaler oder inhaltlicher Sicht besonders interessant sind und sich eignen, eine Verbindung zwischen Antike und Gegenwart herzustellen.

Positive Evaluierung des Thesaurus

Die Wahl zum Lateinwort des Jahres 2023 fällt mit einer äußerst erfreulichen Nachricht zusammen: Wie erst vor Kurzem bekannt wurde, gab die Gemeinsame Wissenschaftliche Konferenz (GWK) dem Antrag auf [Verlängerung der Projektfinanzierung](#) statt. Damit steht dem Thesaurus linguae Latinae der Weg offen, seinen Auftrag zu vollenden und zum umfassendsten Lateinlexikon aller Zeiten zu werden.

„Schatzhaus des antiken Lateins“: Der Thesaurus linguae Latinae

Der Thesaurus linguae Latinae ist das maßgebliche Wörterbuch des antiken Lateins: Als einziges Lexikon bezieht der Thesaurus alle überlieferten lateinischen Texte von den Anfängen bis 600 n. Chr. ein, berücksichtigt also neben der klassischen Latinität auch ausführlich die Besonderheiten der spätantiken und christlichen Texte. Untersucht werden nicht nur literarische Werke, sondern auch juristische und medizinische Gebrauchstexte, Inschriften, Graffiti und vieles mehr.

Seit 2019 steht der Thesaurus online im Open-Access zur Verfügung:

<https://thesaurus.badw.de/tll-digital/tll-open-access.html>

Zudem gibt es den Thesaurus als durchsuchbare Datenbank bei De Gruyter:

<https://tll.degruyter.com/>

Informationen zum Thesaurus finden Sie auf der Projektwebseite:

<https://thesaurus.badw.de/das-projekt.html>

Mehr Informationen zur lateinischen Lexikographie lesen Sie auf dem TLL-Blog: <https://parerga.hypotheses.org/>

Im Podcast werden einzelne Lemmata vorgestellt: <https://tllpod.podbean.com/>

Die Bayerische Akademie der Wissenschaften, gegründet 1759, ist die größte und eine der ältesten Akademien in Deutschland. Ihren Aufgaben als Gelehrtenengesellschaft, außeruniversitäre Forschungseinrichtung und Ort des lebendigen wissenschaftlichen Dialogs mit Gesellschaft und Politik ist sie seit mehr als 250 Jahren verpflichtet. Der Schwerpunkt ihrer Arbeit liegt auf langfristigen Vorhaben, die die Basis für weiterführende Forschungen liefern und das kulturelle Erbe sichern. Die Akademie ist ferner Trägerin des Leibniz-Rechenzentrums, eines der größten Supercomputing-Zentren Europas, des Bayerischen Forschungsinstituts für Digitale Transformation und des Walther-Meißner-Instituts für Tieftemperaturforschung. Den exzellenten wissenschaftlichen Nachwuchs in Bayern fördert sie in ihrem Jungen Kolleg. Die Akademie ist Mitglied der Akademienunion.

Dr. Isabel Leicht

BAYERISCHE AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN

Presse- und Öffentlichkeitsarbeit: Pressereferentin

Alfons-Goppel-Straße 11 (Residenz), 80539 München

T +49 89 23031 – 1336, www.badw.de

leicht@badw.de

Bürozeiten: Mo – Fr. 8.30 h – 14.30 h

BARBARIZAS

Narratiunculam Latinê scriptam lepore simplicitatis praeditam quae sequitur invêni in symbolâ cuiusdam periodici didactici anno 1925 editi: Georg Rosenthal: Über Arbeitsunterricht im Lateinischen, p.355 in: Die Neue Erziehung. Monatszeitschrift für entschiedene Schulreform und freiheitliche Schulpolitik, herausgegeben von Paul Östreich, H. Kölling und G. Danziger, VII. Jahrgang, Berlin 1925. Omnino nescio, num haec fabella scripta sit ab ipso auctore symbolae, i.e. ab illo Georgio Rosenthal. Dubito. Nam potius videtur textus multo vetustior esse. Ceterum animadverti mucronem huius fabellae, qui spectat ad errorem adolescentis Tarentini inscientiâ linguae effectum, congruere cum argumento Hebelianae narratiunculae illustris, c.t. „Kannitverstan“ - etiamsi haec fabella ab illâ valdê discrepat personâ praecipuâ et tempore et loco, quibus agitur. Cara Lectrix, care Lector, en habeas utramque narratiunculam paginis sequentibus editam, quam rogo ut perlegas; mihique dicas quid tibi videatur de argumento deque origine utriusque. Nonne „Barbarizas“ videtur esse textus iam aetate humanistarum ad usum tironum scriptus? Habesne fontem originalem? An credis ipsum Rosenthalium didactologum Latinitatis anno 1925 p.Chr.n. demum Barbarizam animo effinxisse? Scribe mihi, quidquid tibi in buccam venerit.

Adulescens quidam pauperrimus, ut maiorem mercedem sibi pararet, patriâ relictâ – Tarenti habitabat – Romam profectus est. Quo cum venisset, ubi cognovit Romanos aliâ linguâ ûti, timore perterritus solus urbem pererravit. Sed cum in foro Romano esset atque praeclara templa et aedificia admiraretur, oblîtus se peregrinum esse nescio quem interrogavit, quis ea templa aedificasset. Qui cum eum non intellexeret, breviter umeris concussis: „Barbarizas“ inquit. Adulescens autem *Barbarizam* et sollertiam eius praedicavit. - Mox in Palatino oculi eius in domum quandam magnificam conversi sunt: multi servi incurrere, excurrere, senatores et multi nobiles intrare, omnis Roma istuc convenire videbatur. I t e r u m adulescens Tarentinus ex servo quodam manu eius arreptâ quaesivit, cuius ista domus esset. Sed ille quoque breviter: „Barbarizas“ inquit. Eandem vocem adulescens audivit, cum in Tiberi navem magnam frumenti onustam vidisset. Vultu tristi urbe egressus in Viâ Appiâ prope sepulchrum quoddam fame et labore fatigatus obdormivit. In somnis autem *Barbarizas* ei apparuit, artifex ille praeclarus et vir divitissimus. Sed primâ luce ex somno excitatus est magno tumultu audito; funus in Viâ Appiâ parabatur, mille cives mortuum quendam prosequabantur, imagines eius cereae ante eum ferebantur. D e n u o interroganti, quis mortuus esset, responsum est *Barbarizam* esse. Paulo post autem se ipsum *Barbarizam* esse intellexit, atque omnes homines *Barbarizae*, ut ita dicam, sunt, qui nullâ nisi ipsorum linguâ ûti possunt.

- Explicit fabella Barbarizae, sequitur fabella Kannitverstan. -

cfr **Thesaurus Linguae Latinae (ThLL)**, vol.02, col.1735, lin.11-13: **barbarizo**, -âre. cf. βαρβαρίζω. BOETH. elench. Soph. 1, 3 p. 1010 A soloecismo uti facere: hoc autem est facere secundum locutionem barbarizare ex oratione respondentem.

KANNITVERSTAN

Scriptit Johann Peter Hebel, in Latinum convertit Leo Latinus.



JOHANN PETER HEBEL
(1760-1826)

Homo sanê, si quidem vult, omni die – sive versatur *Emmendingae*¹ sive *Gundelfingae*² sive *Amstelodami*³ – occasionem nanciscitur, quâ consideret omnium rerum terrestrium fragilitatem, ut contentus fiat fortunâ suâ, etsi eidem non multi porci ambulat cocti⁴. At per ambages maximê mirabiles factum est, ut quidam Germanus socius fabrilis⁵ *Amstelodami* in urbe errans cognosceret veritatem. Nam cum is in hanc magnam et divitem urbem venisset mercatoriam, plenam domorum magnificarum, navium fluctuantium, hominumque negotiosorum, eidem statim in oculos incidit domus magna et pulchra, qualem viderat nullam totâ in suâ migratione ex

1 **Emmendinga* i.e. orig. *Emmendingen*

2 **Gundelfinga* i.e. orig. *Gundelfingen*.

3 **Amstelodânum*, - ī n. orig. *Amsterdam*. cfr Graesse/ Benedict: *Orbis Latinus*

4 *Eīdem nōn multī porcī ambulat coctī*. orig. *für ihn fliegen nicht viele gebratene Tauben in der Luft herum*.

cfr Karl Ernst Georges, *Deutsch-Lateinisches Wörterbuch*, 1.Band (A-K), 10.Ausgabe, Leipzig 1853, col.622, s.v. braten...gebraten: „...im Sprüchw., es fliegen hier gebratene Tauben in den Mund, hic porci cocti ambulat (Petr.45,4)“.

In bildhauerischer und architektonischer Hinsicht scheint Cerano vor allem Entwürfe geliefert zu haben, wie für die Kolossalstatue des Hl. Carlo Borromeo in Arona, die erst 1690 von Bernardo Falcone fertiggestellt wurde; oder für die Fassade von San Paolo alle Monache (Mailand), deren Skulpturen nach seinen Ideen von Gian Andrea Biffi und Giacomo Buono geschaffen wurden, ebenso wie das Basrelief mit dem Fall des Hl. Paulus von Gaspare Vismara. 1628 schuf er die Vorlagen für die Reliefs mit Geschichten aus dem Alten Testament über den Portalen des Mailänder Domes, die im Museo dell'Opera aufbewahrt werden, zusammen mit Gipsmodellen von Vismara, Biffi und Giovan Pietro Lasagna. 1629 bis 1631 war Cerano Bauleiter (capomastro) des Domes.

Carl Burckhardt

* 13. Januar 1878 in Lindau bei Zürich

† 24. Dezember 1923 in Ligornetto

Carl Burckhardt war ein Schweizer Maler und Bildhauer.

Er schuf Werke im neoklassizistischen Stil.



CAROLVS BVCKHARDT
ILLVSTRIS SCVLP TOR NEOCL ASSICVS
ANTE VIGINTI LVSTRA
PRIDIE NATALIS IESV CHRISTI
EX VITA EGRESSVS

* * *

CAROLVS BVCKHARDT
INCLYTVS SCVLP TOR NEOCL ASSICVS
QVINQVIES VIGINTI ANNIS ANTE
DE VITA CESSIT
AETATIS XLV

MMXXIII

Am 24. Dezember vor 100 Jahren starb
der berühmte neoklassizistische Bildhauer CARL BURCKHARDT

* * *

Vor 100 Jahren starb der berühmte neoklassizistische Bildhauer
CARL BURCKHARDT im Alter von 45 Jahren.

Julian Tuwim

* 13. September 1894 in Łódź

† 27. Dezember 1953 in Zakopane

Julian Tuwim war ein polnischer Lyriker, und Übersetzer.

IVLIANVS TVVIM
 POETA INCLYTVS POLONICVS STIRPIS IVDICAIE
 ET INTERPRES PROBVS
 ANTE BIS TRIGINTA QVINQVE ANNOS OBIIIT

MMXXIII

Vor 70 Jahren starb JULIAN TUWIM,
 ein berühmter polnischer Dichter jüdischer Herkunft
 und auch ein guter Übersetzer.

Julian Tuwim wird am 13. September 1894 in einer jüdischen Buchhalterfamilie in Łódź geboren. Als Student der Universität in Warschau beteiligt er sich an der Studentenzeitschrift „Pro Arte et Studio“ und ist Mitbegründer der kabarettistischen Zeitschrift „Pod Picadorem“. Ebenso ist er Mitglied der neu gegründeten Zeitschrift „Skamander“, als deren bester Autor er bald gilt. Die Gruppe der „Skamandriten“, zu der neben Tuwim bekannte Dichterpersönlichkeiten wie J. Iwaszkiewicz oder A. Słonimski gehören, verfügt über kein ausformuliertes Programm – die Dichter vereint die Freude über die wiedergewonnene Freiheit und die Absage an die bisherige Selbstauffassung der polnischen Literatur als nationale Berufung. Bereits frühzeitig sorgt Julian Tuwim mit seinen Gedichten für Aufmerksamkeit und ruft mit seinem brutal-vitalisierenden, den Bodensatz der Großstadt verherrlichenden Gedicht „Wiosna“, zu Deutsch „Der Frühling“, 1916 einen Literaturskandal hervor. In seinen ersten vier Gedichtbänden, die zwischen 1918 und 1923 erscheinen, stellt der Dichter ein positives Bild der Großstadt dar und schafft einen für Polen völlig neuen lyrischen Helden – die graue Masse der urbanen Unterschichten. Dem neuen Staat und seinen Trägern steht Tuwim zunächst positiv gegenüber, doch wendet er sich mit dem zunehmend autoritären Charakter der Regierung und dem wachsenden Antisemitismus im Land von der Regierungspolitik ab. Schon in den Jugendnotizen des jungen Dichters ist zu lesen: "Jedwede Vorwürfe: Du bist doch Jude! wehre ich von Anfang an ab." Vor diesem Hintergrund wendet er sich in seiner Lyrik der ausweglosen Situation der assimilierten Juden zu, denen das Heimatrecht in der polnischen Literatur und Gesellschaft verweigert werde. Tuwim selbst wird in den dreißiger Jahren als „jüdischer Dichter in polnischer Sprache“ zur Zielscheibe antisemitischer Angriffe.

Daneben beschäftigt sich der Dichter mit der Existenzangst des modernen Menschen, schreibt Satiriken, Gebrauchsdichtung fürs Kabarett, Polemiken und sogar Schlagertexte.

Bereits seit 1919 ist Tuwim Mitarbeiter und späterer Leiter des literarischen Kabarets in Warschau, das „Qui pro Quo“, das er 1932 verlässt. Des weiteren arbeitet er seit 1924 für die Wochenzeitschrift „Wiadomosci Literackie“, die „Literarischen Nachrichten“, und für verschiedene satirische Zeitschriften.

Noch vor dem Einmarsch der deutschen Truppen verlässt Tuwim 1939 Polen und flüchtet über Rumänien nach Frankreich. Später führt ihn sein Weg nach Portugal, Brasilien und New York. Auch in der Emigration ist er für verschiedenen Zeitschriften tätig, darunter für das Monatsmagazin „Nowa Polska“, „Neues Polen“. 1946 kehrt er nach Polen zurück und leitet von 1947 bis 1950 das „Neue Theater“ in Warschau.

Julian Tuwim ist als „einer der größten Meister der polnischen Sprache“ am 27. Dezember 1953 in seiner „eigentlichen Heimat, die ihm niemand streitig machen konnte“, gestorben. Seiner eigenen Aufforderungen scheint er selbst nachgekommen zu sein: „Lebe so, dass sich deine Bekannten langweilen, wenndu gestorben bist.“

Quelle: https://www.deutscheundpolen.de/personen/person_jsp/key=julian_tuwim.html

Julian Tuwim

* 13. September 1894 in Łódź
† 27. Dezember 1953 in Zakopane

Julian Tuwim war ein polnischer Schriftsteller und Lyriker.



IVLIANVS TVVIM
BONVS POETA POLONVS STIRPE IVDICA FVIT
ATQVE INTEPRES INSIGNIS
QVI EX LINGVA RVSSICA TRANSTVLIT
SEPTVAGINTA ANNIS ANTE EX VITA EGRESSVS

* * *

IVLIANVS TVVIM
POETA INGENIOSVS POLONICVS STIRPE IVDICA
ATQVE INTERPRES STRENVVS
SEPTVAGINTA ANNIS ANTE
VI KAL. IANVARIAS EX VITA EGRESSVS
AETATIS SVAE LIX

MMXXIII

JULIAN TUWIM war ein großer polnischer Dichter jüdischer Herkunft
und zudem ein ausgezeichneter Übersetzer aus dem Russischen.
Vor 70 Jahren ist er gestorben.

* * *

Am 27. Dezember vor 70 Jahren starb
der talentierte polnische Dichter jüdischer Herkunft und tüchtige Übersetzer
JULIAN TUWIM im Alter von 59 Jahren.


Amos Oz

ursprünglich Amos Klausner

* am 4. Mai 1939 in Jerusalem

† 28. Dezember 2018 in Petach Tikwa

Amos Oz war ein israelischer Schriftsteller, Journalist und Intellektueller. Oz gilt als einer der bedeutendsten israelischen Schriftsteller. Sein literarisches Werk umfasst Romane, Erzählungen, Essays und Kinderbücher, die in zahlreiche Sprachen übersetzt wurden und ihn zum meistübersetzten israelischen Autor machen.



A M O S O Z

D I V R N A R I V S E T S C R I P T O R E X C E L L E N S

A N T E Q V I N Q V E A N N O S V I T A C E S S I T

A E T A T I S L X X I X

M M X X I I I

Vor fünf Jahren starb
der Journalist und exzellente Schriftsteller
A M O S O Z im Alter von 79 Jahren.

Im Jahr 2006 verteidigte Oz in einem Artikel in der *Los Angeles Times* den Krieg gegen die Hisbollah im Libanon und 2008 in der Bild-Zeitung den Krieg gegen die Hamas im Gazastreifen. Er revidierte seine Einstellung zur israelischen Offensive im Libanon jedoch im Laufe der Operation und rief zwei Wochen nach Beginn des Gaza-Krieges zu einem Waffenstillstand auf: „Hamas ist verantwortlich [...] aber die Zeit ist gekommen, um einen Waffenstillstand anzustreben.“

Quelle: Wikipedia

Der Archipel Gulag

Das Buch wurde am 28. Dezember 1973 auf Russisch in Paris veröffentlicht. In Russland erschien es erstmals 1990 und wurde im Jahr 2009 auf Wunsch von Wladimir Putin zur Schullektüre.

«DE ARCHIPELAGO GVLAG» LIBER NOBILIS
 ALEXANDRI SOLZENICYN SCRIPTORIS RVSSICI
 ANTE QVINQVAGINTA ANNOS
 VKAL. IANVARIAS
 LV TETIAE PVBLICATVS

MMXXIII

Am 28. Dezember vor 50 Jahren wurde „DER ARCHIPEL GULAG“,
 das berühmte Buch des russischen Schriftstellers ALEXANDER SOLSCHENIZYN,
 in Paris (auf Russisch und zum ersten Mal) veröffentlicht.

„Der Archipel Gulag“ (Original: russisch Архипелаг ГУЛАГ Archipelag GULAG) ist ein historisch-literarisches Werk des russischen Schriftstellers, Dissidenten und Trägers des Nobelpreises für Literatur Alexander Issajewitsch Solschenizyn (russisch Александр Исаевич Солженицын, wissenschaftl. Transliteration Aleksandr Isaevič Solženicyn). Der am 28. Dezember 1973 in Frankreich erstveröffentlichte „Archipel Gulag“ gilt als sein Hauptwerk und als eines der einflussreichsten Bücher des 20. Jahrhunderts. Es ist das bekannteste Werk der oft im Untergrund entstandenen und verbreiteten Samisdat-Literatur aus der Stalin- und Chruschtschow-Ära in der Sowjetunion und die bedeutsamste Darstellung und Kritik des Stalinismus innerhalb der Literatur.

GULag oder Gulag ist ein Akronym für die russische Bezeichnung Glawnoje Uprawlenije isprawitelno-trudowych Lagerei (russisch Главное Управление Исправительно-трудовых Лагереј ‚Hauptverwaltung der Umerziehungs- und Arbeitslager‘). Der Titel des Buches bezeichnet das Lagersystem als einen über die ganze Sowjetunion verteilten Archipel, eine abgeschlossene Inselwelt der Unterdrückung und Entmenschlichung. Damit wird auch der Titel des Buches „Die Insel Sachalin“ von Tschekow aufgenommen, in dem dieser Zwangsarbeit und Verbannung im Zarismus beschrieb.

Der russische Schriftsteller Viktor Jerofejew nannte Solschenizyn in einem Nachruf den „mutigsten Schriftsteller in der gesamten Geschichte Russlands“. Solschenizyn habe „allein gegen das sowjetische Imperium gekämpft“ und letztlich gesiegt.

Quelle: Wikipedia

<https://www.deutschlandfunk.de/28-12-1973-der-archipel-gulag-von-alexander-solschenizyn-erscheint-dlf-b6e9e188-100.html>

Josef Hassid (Chasyd)

* 28. Dezember 1923 in Suwałki, Polen

† 7. November 1950 in Epsom, England

Josef Hassid war ein polnischer Violinist.

ANTE CENTVM ANNOS NATVS
 IOSEPHVS HASSID
 VIOLINISTA EXCELSVS POLONICVS

ANTE SEPTVAGINTA TRES ANNOS
 EXVITA EGRESSVS

MMXXIII

Der überragende polnische Violinist

JOSEF HASSID

wurde vor 100 Jahren geboren

und starb bereits vor 73 Jahren.

Josef Hassid wurde am 28. Dezember 1923 in der polnischen Grenzstadt Suwałki in eine arme Familie polnischer Juden als drittes von vier Kindern hineingeboren. Seine Mutter starb in Josefs zehntem Lebensjahr an Typhus. Er wurde daraufhin von seinem Vater großgezogen. Nach vorherigem Selbstunterricht wurde er im Alter von zehn Jahren Schüler an der Chopin-Musikschule in Warschau. 1935 war er einer der jüngsten Teilnehmer des ersten Internationalen Henryk-Wieniawski-Violinwettbewerbs für Geiger und wurde dort mit einem Sonderpreis bedacht.

Hassid kam 1938 mit seinem Vater nach London. Der Ausbruch des Zweiten Weltkrieges verhinderte die Rückkehr nach Polen. Im Herbst 1940 wurde er erstmals der Londoner Öffentlichkeit vorgestellt. Es fanden ein Solo-Recital in der Wigmore Hall und ein Konzert-Recital mit dem Violinkonzert von Tschaikowsky in der Queens Hall statt. Der Gedächtnisaussetzer, den Hassid hierbei hatte, wird als eines der ersten Anzeichen seiner späteren Erkrankung betrachtet. Hassid war nach dem Urteil vieler berühmter Geiger eines der begabtesten Talente in der Geschichte des Violinspiels. Aufgrund einer psychischen Erkrankung (Schizophrenie) verschwand Hassid für immer aus dem Konzertleben, kurz nachdem er auf dem internationalen Konzertpodium aufgetaucht war. Wenige Jahre später verstarb er an den Folgen einer Operation. Seine einzige Hinterlassenschaft besteht aus neun Aufnahmen acht kurzer Stücke aus den Jahren 1939 und 1940, die seine geigerische Begabung eindrucksvoll bezeugen.

Quelle: Wikipedia

Josef Hassid (Chasyd)

* 28. Dezember 1923 in Suwałki, Polen
 † 7. November 1950 in Epsom, England

Josef Hassid war ein polnischer Violinist.



ANTE CENTVM ANNOS NATVS
 IOSEPHVS HASSID
 VIOLINISTA NOBILIS POLONICVS
 ANTE SEPTVAGINTA TRES ANNOS
 VITA CESSIT AETATIS XXVI

MMXXIII

Der berühmte polnische Violinist
 JOSEF HASSID wurde vor 100 Jahren geboren.
 Vor 73 Jahren starb er im Alter von erst 26 Jahren.

"Ein Heifetz wird alle 100 Jahre geboren, ein Hassid nur alle 200." *Fritz Kreisler*

"Then there was Josef Hassid, the greatest instrumental genius I have ever partnered. I don't know how to explain his incandescence. He had technical perfection, marvellous intonation, glorious tone – but there was something above that which was quite incredible – a metaphysical quality." *Gerald Moore*

Acht Stücke mit Josef Hassid und Gerald Moore:

<https://serenademagazine.com/josef-hassid-the-forgotten-genius/>

**HAEC CHRONOGRAMMATA
ARTIFICIOSA
CONFECIT
TOBIAS RÖSSLER**

ECHUS VOCES & EPISTULAE

CHRISTIANUS LAES PRAESES

ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE (ALF)

Christianus Laes omnibus sodalibus ALF carissimis salutem!

In initio huius novi anni academici, nonnulla sunt annuntianda -- tristia atque iucunda, ut solet fieri in vita humana.

Die 9 mensis Iulii Nicolaus Sallmann, professor emeritus Moguntiacensis, qui per multos annos Latinitatem vivam in Germania strenue coluerat, e vita excessit. Sodalis munere alterius a praeside est functus et erat etiam in incunabulis operis fundati Euroclassicae. Memoriam eius inclutissimam iam cecinit sodalis Axelius Schönberger; sribent etiam sodales Gaius Licoppe atque Sigrides Albert in commentariis suis. Sit ei terra levis.

Hodie, die scilicet 30 mensis Septembris, anniversarium celebratur cuiusdam momenti, quippe cum **ante 40 annos conditus sit circulus Latinus Melissa**. An alius circulus tam longam vitam habeat, ego quidem prorsus ignoro -- uticumque conditoribus atque sodalibus fidelissimis, Gaio atque Franciscae scilicet Licoppe, gratiae ingentes sunt agenda!

Ceterum, conventiculus noster annuus **diebus 31 mensis Maii atque 1 mensis Iunii Romae** celebrabitur, cuius thema erit: **Roma-Amor: de poetis Latinis recentissimis (post Pascolium)**. Si quis placet orationem proferre, scribat mihi, quaeso, quam celerrime, argumento atque titulo additis.

De orationibus mensuris, modo Zoomiano proferendis idem valet: omnes invitamini ut argumentum afferatis atque mihi mittatis. Quam consuetudinem iucundam pergere nobis certe est in animo.

Ceterum, mox vobis mittam nuntios etiam iucundiores: **de actis conventus mox divulgandis**. Interea iam poteritis inspicere sedem nostram in rete, quae iuvantibus sodalibus Daniel atque Iosepho identidem renovatur.

Haec sufficiant hodie! Vos ex imo corde atque grato etiam animo saluto,
Christianus vester

d.25 m.Nov. a.2023 h.18:15

**NICOLAUS LEO LATINUS CHRISTIANO PRAESIDI ACADEMIAE
LATINITATI FOVENDAE SAL.PL.DIC.**

S.V.B.E.E.V.

Mirror, care Christiane, quod adhuc nullum nuntium accepi de acroasibus Academiae zoomianis. Num defectu tecnico mihi non allatus est nuntius vester?

Orbis Pictus Hexaglottus opus sane copiosum atque tripertitum crescit lente, sed continuo; multa nova verba accepi indice Scatebrani copiosissimo et Lexico visuali Maieriano.

Opus complectetur tria volumina:

vol.I PICTURA ET NOMINA.

vol.II: GLOSSAE

(lemma latinum, interpretamentum, 5 versiones: theod., angl., fr., hisp., ital.; testimonia, etymon, explicatio neologismi).

vol.III: LEXICON VERNACULO-LATINUM.

Haec breviter, mox, si volueris, multo plura. Valeto pancratice, Praeses Latinissime. et perge mihi favere. **MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS.**

d.25. m.Nov. a.2023 h.18:17

Christianus Nicolao, leoni indefesso,

Unus tantum sodalis, eheu, nomen dedit, idque pro mense Aprili. Forsitan iterum conabor omnes 'resuscitare', **valeas valeasque pancratice. Prof. Dr. Christian Laes**

d.25. m. Nov. a.2023 h.19:13

Nicolaus Christiano s.

Gratias plurimas pro responso prompto. Dolendum est, quod sodales cessant cunctanturve. - Equidem paratus sum acroasin facere - mense Februario aut postea, si licebit. Habesne thema generale tractandum? An quivis loquatur de re sibi gratissima? Quid tibi videtur de EPISTOLOGRAPHIA tractanda? Hoc thema certe spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quidam auctor Britannus, cui nomen est *Simon Garfield*, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("*To the Letter. A Journey through a Vanishing World*"). Idem Simon contendit propter epistoliarum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Equidem Simoni contradicam. Nam his 50 fere annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronica nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldiana? - Rogo te, ut coneris nova invitatione resuscitare sodales; utinam nobiscum communicent scientiam suam et vivum sermonem Latinum. Sunt sat multi iuvenes in Academia nostra docti et agiles et eloquentes - non possum animo fingere eos omnes esse inertiores quam ut acroasin faciant coram Academia Latinissima. Certe novisti *Marcum Cristini*, qui thesin suam scripsit de carminibus Latinis in bello primo mundano scriptis et praeter classica studia sua etiam botanica pertractat mirabiliter. -

Ceterum scisne aliquid de *Carolo Lyvens* Lituano cooperatore tuo? Laudo eius scientiam lexicorum, mihi iam multa lexica et indices verborum utiles misit et indicavit, itaque doleo, quod iam ex longiore tempore nihil scripsit. Num debet in patria sua exercitia facere militaria? - Haec hactenus, mox, si volueris, libenter plura tibi scribam. **Vale semper, medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.25. m.Nov. a.2023 h.20:27

Christianus Nicolao suo!

Perplacet, mi sodalis, thema a te propositum. Duos nunc iam habemus oratores, quorum mentionem faciam in nova quidem invitatione. - Ceterum, Carolus mox, id est mediante mense Februario, thesim suam doctoralem defendet, quod me duce perfecit. Nulla ei est militia subeunda, nisi fallor, et felix in Lithuania habitat. Scribas ei iterum, sodes. Item de Marco Cristini: ille, cum modo munus academicum Florentiae acceperit, nunc sodalis ordinarius Academiae est promotus. Eum optime novi. - **Valeas valeasque, mox plura, Christianus tuus**

d.25. m.Nov. a.2023

Nicolaus Christiano suo optimo s.

Iterum gratias pro responso prompto. Carolo modo scripsi, Marco sum scripturus. - Quod attinet ad thema a me tractandum, propono tibi alterum - ut ita dicam alternativum - quod mihi iam pridem cordi est, quia maxime valet ad opus meum maius lexicographicum: CONFICTIO VERBORUM. Nam in ORBE PICTO conscribendo cum nova nomina mihi essent imponenda permultis rebus novis, semper mihi deliberandum erat de normis verba confingendi deque suffixis instrumentorum et similibus. In interreti multa proponuntur verba nova quodam gaudio ludendi ultro conficta, sed saepe eadem abhorrent a vera Latinitate.

Ergo nunc habes duo themata, quae tractare paratus sum; utrumque mihi cordi est. Sed si qui sodalis unum etiam tractare voluerit, ego tractabo alterum. - Oratores commendabiles. Restat, ut tibi afferam nomina et inscriptiones electronicas nonnullorum hominum, qui - quantum mihi videtur - et Latinitatis peritia et eruditione sua aptissimi et (nisi aliis negotiis impediti) parati sunt ad acroasin Latinam faciendam. Plerique eorum nondum sunt sodales Academiae, sed occasione data fortasse ad maiorem gloriam Latinitatis poterunt cooptari.

Ecce nomina et inscriptiones: --- Commendo tibi, optime Praeses, ut hos homines doctos et eloquentes invites ad acroasin Latinam faciendam; equidem eosdem mihi bene notos, quantum potero, adhortabor, ut accipiant oblationem humanissimam. - Haec hactenus. Spero sat oratores inventum iri, ne Latinitas Academiae umquam exarescat, sed ut scaturiat fonte perenni. Tu autem valeto basilice, mi care Christiane Praeses Latinissime, et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.30 m. Nov. a.2023 h.14:48

Nicolaus Leo Latinus Christiano Laes Praesidi Academiae Latinitati Fovendae maxime honorabili sal.,pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Accepistine epistulam meam die Saturni missam (v. infra)? Ibidem nomina et inscriptiones electronicas novem hominum Latine doctorum tibi indicavi, qui mihi videntur esse acroasi Latina facienda dignissimi. Interimne iam sat multos homines doctos invenisti, qui parati sint ad hoc munus honestissimum suscipiendum? Utinam ne umquam desinat Academia nostra colere Latinum sermonem et doctum et vivum ratione zoomiana per totum orbem terrarum divulgandum. Vale pancratice, Praeses Latinissime, et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.01. m.Dec. a.2023 h.17:28

Christianus Nicolao suo, sodali optimo

Humanissime, verum instantissime rogem ut patientiam quandam exerceas. Cottidie mihi sunt nuntii sunt legendi numerosi, quibus semper respondere soleo. - Ita, perplacet etiam thema alterum -- magis etiam quam primum. Orationem hanc habebis ergo in quadam sessione Zoomiana, quam mox indicabo. - Usque nunc, tantum licebat sodalibus ipsis tales orationes proferre. Tibi, uti unicuique sodali, licet novos etiam sodales proponere, quod fieri solet in annuo conventu, qui nunc exeunte mense Maio habebitur. **Valeas pancratice!**

d.02. m.Dec. a.2023 h.00:57

Nicolaus Christiano Praesidi maxime honorabili sal.pl.

Gratias plurimas, patienter exspecto. Vale semper, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

GAIUS LICOPPE EDITOR MELISSAE NESTOR LATINITATIS VIVAE

d.19. m.Sept. a.2023 h.18:54

Nicolaus Gaius suo optimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Gai, quid fit, quid agitur - rectene vales? Utinam condicio tua familiaris interim melior facta sit. Accepistine heri novissimam meam Epistulam Leoninam (284)? Insunt duae symbolae magnae historicae: "De interitu Imperii Romani" et "De Romanorum virtutibus". Animo Hsuspensio exspecto, quid tu sensurus sis de iisdem. Quia "avis tonitrualis" ("Mozilla Thunderbird"), i.e. programma epistulas electronicas mittendi meum aegrotat, utor alio systemate ("Webmail"), incertus, num bene operetur. Itaque quaero ex te, num bene acceperis Epistulam novissimam. Vale semper pancratice, mi care Gai, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.02. m.Oct. a.2023 h.10:23

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Veniam peto quod sero tibi respondeo. Epistulam Leoninam 284 legi; insunt duae symbolae de historia Romana; parvum commentarium doctis symbolis academicorum

professorum addere in animo habebam, sed tempus mihi omnino defuit. **Cura ut valeas.**

d.02. m.Oct. a.2023 h.15:47

Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.

Gratias summas pro nuntio tuo; iam diu miratus sum sollicitus, quod nihil iam mihi scripsisti. Valde gaudeo quod mihi nunc rescripsisti et duas symbolas Leoninas legisti et symbolam scripturus es, quam exspecto magna cum animi suspensione.

Pancreatice vale, mi care Gaii, et perge mihi favere. Haec raptim, mox certe plura. Medullitus te tuasque salutatur **Nicolaus Leo Latinus.**

LYDIA BRIGHI ARIMINENSIS EPHEMERIDOS COEDITRIX

d.20. m.Sept. a.2023 h.11:32

Nicolaus Leo Latinus Lydiae Brighi sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Cara Lydia, rectene vales? Utinam valeas quam optime! Iamne accepisti Epistulam Leoninam 284? Cui inest pars finalis Scribae Romani a te excellenter enarrati. Ceterum insunt duae symbolae quae spectant ad historiam Romanam: "De interitu Imperii Romani" et "De Romanorum virtutibus". Animo suspenso exspecto, quid tu censura sis de his symbolis. Quia hoc tempore aegrotat Avis mea Tonitrualis (Mozilla Thunderbird), i.q. systema epistulas electronicas mittendi, haud certo scio, num recte tibi allata sit Leonina mea. Vale semper pancreatice, Lydia Latinissima, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**

d.28. m.Sept. a.2023 h.16:12

Lydia Nicolao spd

Legi diligenter textum de interitu Imperii Romani, quo professor rem tractat considerans migrantes Germanos primam causam occasus fuisse. Tamen etiam alia facta eiusdem aetatis, mea sententia, crisi faverunt. De quibus rebus possim scribere. Quid dicam de tua doctissima dissertatione? Non facile esset exaugere argumenta ab auctoribus confirmata! **Vale optime!**

d.20. m.Sept. a.2023 h.11:32

Nicolaus Leo Latinus Lydiae Brighi sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Cara Lydia, rectene vales? Utinam valeas quam optime! Iamne accepisti Epistulam Leoninam 284? Cui inest pars finalis Scribae Romani a te excellenter enarrati. Ceterum insunt duae symbolae quae spectant ad historiam Romanam: "De interitu Imperii Romani" et "De Romanorum virtutibus". Animo suspenso exspecto, quid tu censura sis de his symbolis. Quia hoc tempore aegrotat Avis mea Tonitrualis (Mozilla Thunderbird), i.q. systema epistulas electronicas mittendi, haud certo scio, num recte tibi allata sit Leonina mea. Vale semper pancreatice, Lydia Latinissima, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**

d.28. m.Sept. a.2023 h.16:12

Lydia Nicolao spd

Legi diligenter textum de interitu Imperii Romani, quo professor rem tractat considerans migrantes Germanos primam causam occasus fuisse. Tamen etiam alia facta eiusdem aetatis, mea sententia, crisi faverunt. De quibus rebus possim scribere. Quid dicam de tua doctissima dissertatione? Non facile esset exaugere argumenta ab auctoribus confirmata! **Vale optime!**

d.26. m.Nov. a.2023 h.00:48

**NICOLAUS LEO LATINUS LYDIAE EPHEMERIDIS MODERATRICI
SAL.PL.DIC.**

Quid fit, quid agitur, cara Lydia? Equidem adhuc immersus sum oceano verborum lexicum mei, c.t. ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS.

Christianus Laes Belga Praeses Academiae Latinitati Fovendae noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit zoomianae acroasi faciendae. Nonne tibi placet coram Academia nostra per visificium (Bildschirm) nobiscum communicare studia tua Latina? Perplacent mihi scripta tua, quibus soles patefacere scientiam multiplicem, Latinique sermonis magnam peritiam. - Libentissime te oratricem praesidi commendabo. Pro certo habeo Latinitatem tuam honori fore Academiae. - Ipse paratus sum ad *Epistolographiam* tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? Quidam auctor Britannus, cui nomen est *Simon Garfield*, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("*To the Letter. A Journey through a Vanishing World*"). Idem Simon contendit propter epistoliorum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Equidem Simoni contradicam. Nam his 50 fere annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronica nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. - Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldiana? - Scribas mihi quam maturime, ut sciam, num paratus sis, teque commendabo praesidi. Dies nondum certus est; indica mensem (Ian.- Febr. - Mart.).

Vale pancratice, mi cara Lydia, et perge mihi favere. Medullitus te salutat
NICOLAUS LEO LATINUS

d.29. m.Nov. a.2023 h.21:00

Lydia Nicolao spd

Mihi placeret interesse acroasi zoomianae Academiae Latinitati Fovendae mense Martio, laudi mihi hoc esset. Sed paulum timeo. Numquam hoc feci: quantum temporis mihi licet loqui? Vale, Lydia.

NAEVIUS SARTORIUS

19.9.2023 07:49

Naevius Nicolao s.

Gratias summas, ex Carinthia reversus te saluto, nunc ad tramen properare debeo ...

Vale semper VN

d.19. m.Sept. a.2023 h.17:02

Naevius Nicolao s.<https://daserste.ndr.de/annewill/videos/Muchsame-Offensive-ferner-Frieden-Braucht-die-Ukraine-noch-mehr-Unterstuetzung,annewill8088.html>Non spectavi, non spectabo. Mihi ea sane clara esse videntur quae dicat *Kiesewetter*, iste miles gloriosus.**Vale VN**

d.19. m.Sept. a.2023 h.23:27

Nicolaus Naevio s.IAMNE AUDISTI HOC COLLOQUIUM MIRABILE ET AUDITU DIGNISSIMUM? <https://www.pi-news.net/2023/09/auf1-doppelinterview-mit-alice-weidel-und-herbert-kickl/>

Iamne EL 239 inspexisti? Suspenso animo exspecto, quid sensurus sis de symbolis historicis ("DE INTERITU IMPERII ROMANI" et "DE ROMANORUM VIRTUTIBUS"). VALE SEMPER BASILICE ATQUE PANCRATICE: MEDULLITUS TE SALUTAT NIC.

d.21. m.Sept. a.2023 h.13:04

Naevius Nicolao s.<https://www.spiegel.de/ausland/fpoe-euphorie-afsaeren-und-alice-weidel-zu-besuch-a-d04573b8-3824-4788-ae73-e98d1719f705>

Partes colloquii illius heri media nocte audivi. Perplacet! Summa eloquentia Alicia et Herbertus describunt statum horribilem Germaniae Austriaeque. Hic potes legere ea quae diurnum notum HAMBURGENSE de factione Herberti narrat ... cave! N.

d.21. m.Sept. a.2023 h.21:06

Nicolaus Naevio s.<https://www.pi-news.net/2023/09/klimaschwindel-ex-mdr-wettermann-packt-bei-auf1-aus/><https://www.pi-news.net/2023/09/zdf-magazin-frontal-wirbt-fuer-maximilian-krahs-politik-von-rechts/>Videtur ventus verti! Iamne spectasti 7 min huius emissionis "FRONTAL" (ZDF)? Incredibile! Num redactor nunc dimittetur? Num haec inclinatio nova est nova fraus, novus dolus??? Exspectemus et observemus. Legistine, quid diurnarii illius "FOCUS" de Höcke fecissent? Incredibile!!! Sed oratio Lawrowiana est vere bona et vera et sincera et clare patefacit fraudes et scelera Occidentalium et tyrannidis Chioviensis. Quid tibi videtur??? Vale semper, **NIC.**

d.22. m.Sept. a.2023 h.09:01

Naevius Nicolao suo s.Assentior, *Lavrov* locutus est de nucleo problematis. Ceterum studebo perlegere symbolas in Epistula tua novissima cras. Symbola de virtutibus Romanorum a te summa diligentia peritiaque composita perplacet; adhuc solum nonullas partes legi,

sed mihi clarum esse videtur tempus nostrum eis virtutibus Romanis - velut fortitudine, pietate, iustitia – paene omnino carere. Habemus pro illis solum pseudo-moralitatem. Ut doctissime explicas, virtus pietatis habet tres rationes. Prima est pietas iuniorum erga seniores, secunda est pietas civis erga rem publicam, tertia est pietas hominum erga deos (religio). Aspectus primus, pietas erga seniorum, mihi eo tempore paene nihil valere videtur. Certe, iuventuti semper placebat vitupare mores maiorum, ei semper placebat eos lacessere, sed iuventus nostri temporis mihi maiores quidam despiciere videtur; putat se esse superiorem, sentit res omnes (politicas) melius perspicere et – quod attinet ad moralitatem - vitam meliorem agere. Ea omnia dicam *superbiam iuventutis*. Quae observari possunt in talibus actionibus politicis velut his: <https://www.merkur.de/lokales/muenchen/truemmerfrauen-denkmal-verhueellt-3257780.html>

Haec raptim, mox, ut spero, plura. **Vale, VN**

d.24. m.Sept. a.2023 h.13:56

Nicolaus Naevio s.

Nonne istud est mendacium Russorum? Certe, nam Ucrainii et Americani nihil unquam dicunt nisi verum. Scilicet eosdem esse amicos nostros. Amici numquam nos fallunt. Gasiductum illum Russi ipsi destruxerunt. Nam Russi tam mali sunt, ut noceant sibi ipsi... **Vale, NIC.**

[.https://www.metropolnews.info/mp577318/deutsche-bundeswehrosoldaten-in-der-ukraine-panzer-zerstoert-verwundete-und-tote](https://www.metropolnews.info/mp577318/deutsche-bundeswehrosoldaten-in-der-ukraine-panzer-zerstoert-verwundete-und-tote)

d.24. m.Sept. a.2023 h.14:44

Naevis Nicolao suo s.

Certe! Ut bene scimus, Russi semper solent mentiri - et Ucraini Americanique nihil aliud nisi veritatem amant. Bene scimus Americanos bellum Iraquium fecisse quia argumentis certissimis demonstraverunt Saddamo isti esse arma atomica biologicaque... **Vale, N.**

d.24. m.Sept. a.2023 h.17:03

Nicolaus Naevio s.

<https://ria.ru/20230923/tank-1898197755.html>

NUNC SCIO QUOMODO LITTERAE AUGMENTUR ! Vale, **NIC.**

d.24. m.Sept. a.2023 h.17:14

Naevis Nicolao suo s.

OPTIME! Adhuc de fabula ea dubito, sed fortasse mox habebimus fontes alios.

Vale, VN

24.9.2023 21:11

Naevis Nicolao suo s.

Care amice, inspicias, quaeso, imaginem in appendice! Illud photographema feci anno MCMLXXXV - uno ex amicis meis diurnum legente. Quid observas? **NIHIL** de genderismo, nihil ... immo: contrarium potes videre. Illa tempora erant non omnino felicia, sed certe meliora; carebant ista ideologia prasina eo tempore valente.

Vale semper VN

d.24. a.2023 h.21:40

Nicolaus Naevio suo s.

Verum enim vero, care amice, illud tempus fuit melius quam hodiernum! Tibi assentior. Generaliter quidem puto senescentibus cavendum esse, ne fallantur memoriae inclinatione meliora tenacius retinendi quam peiora; quo fit, ut credant prius omnia fuisse meliora nec desinunt inepto more indiscriminatim omnia transacta laudare. Tamen clare patet aliis temporibus condicionem societatis esse meliorem quam aliis. Si consideramus istum furorem perniciosissimum, qui appellari solet "wokeismus" (nescio utrum appellem *vigilantismum* an *minoritatum*), concludendum est imprimis adolescentibus isto furore imminere atrocissima pericula, qualia nos adulescentes ne somnio funestissimo quidem suspicati simus. Quid sentis? Tu ne cede malis sed contra audentior ito. **Vale semper NIC.**

d.24. m.Sept. a.2023 h.22:02

Naevius Nicolao suo s.

Recte. Caveamus ne fallamur. Certe non credo omnia transacta meliora fuisse; sed fere XL annos ante multa bona et - imprimis - alia erant. Quamobrem scripsi illa tempora "non omnino felicia" fuisse; sed puto ea - quod saltem attinet ad absentia istius idologiae vigilantismi - meliora fuisse. Homines semper de aetate aurea somnare solent, sed in momento sinceritate confiteri debent eam numquam fuisse. **Vale semper VN.**

d.24. m.Sept. a.2023 h.22:16

<https://www.youtube.com/watch?v=bE1WBb9v9xQ> HEIL SELENSKI

Nicolaus Naevio suo s.

Quid tibi videtur de Satura Selenskiana? Equidem idem spectans paene risu ruptus sum ! Quis eandem fecit? Nostris Alternativi? An Russi? Nonne facies histrionum sunt vere russicae? Quid sentis? **Vale, NIC.**

d.25. m.Sept. a.2023 h.07:52

Naevius Nicolao suo s.

Nescio, facies mihi non valde russicae esse videntur. Quicumque id cinematium fecit, optime demonstravit burgensibus nostris moralistis istum bellum sine modo sumptuosum esse. **Vale semper VN.**

d.25. m.Sept. a.2023 h.11:07

Nicolaus Naevio suo s.

<https://www.bild.de/politik/inland/politik/deutscher-bischofs-chef-georg-baetzing-afd-und-kirche-passt-fuer-mich-nicht-zusa-85385090.bild.html>

Non possum tantum ciborum devorare, quantum cupio vomere !!! EN ISTUM HOMUNCIONEM CONCUSSUM ET CORRUPTUM!!! **Vale, NIC.**

d.25. m.Sept. a.2023 h.15:59

Naevius Nicolao suo s.

Vir iniucundissimus. Non intellego cur iste clericus Alternativos hostes iudicet. Consulat agnis suis...! **Vale semper VN.**

d.25. m.Sept. a.2023 h.22:31

<https://www.pi-news.net/2023/09/achtung-reichelt-so-erfindet-faeser-angriffe-auf-fluechtlingsheime/>

Nicolaus Naevio s.

Incredibile! Quam impudenter ista Nancia falsat statisticam criminalem! Quid tibi videtur? **Vale, NIC.**

d.26. m.Sept. a.2023 h.21:27

Naevius Nicolao s.

<https://www.tichyseinblick.de/meinungen/corona-ethikrat-buyx-geschichtsumschreibung/>

Ista FAESER revera intolerabilis, muneris indigna est. Hic potes legere de excetra alia, quae erat furia quaedam coronaria, ista BUYX. Nunc more istius Margi Frangi, obbordunistae maximi, de eo tempore infelice locuta est. ODIOSE! **Vale, N.**

d.26. m.Sept. a.2023 h.22:26

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=SVLGI-giUMo>

Impetus gubernationis in libertatem civium in dies fiunt vehementiores. En miseram hanc locutricem nuntiorum Elsässerianam, quae impedita est, ne fieret magistra. Revera autem nullam culpam contraxit: Nuntios recitavit. **Vale, NIC.**

d.28. m.Sept. a.2023 h.10:53

Naevius Nicolao s.

Solum nuntios recitavit und et nunc punitur. Incredibile! Hoc est odiosum, hoc est culpa contagionis. Ubi est indulgentia (*Toleranz*) a sinistris semper magno clamore praedicata postulataque? ***

<https://www.tichyseinblick.de/kolumnen/aus-aller-welt/ungarn-viktor-orban-migration-grenze/>

<https://www.tichyseinblick.de/kolumnen/aus-aller-welt/eu-parlamentspraesidentin-metsola-gegner-migrationspakt/>

Hic potes legere nuntios novissimos de migrantibus armatis. Vae nobis! **Vale, N.**

d.30. m.Sept. a.2023 h.23:06

Nicolaus Naevio s.

Modo cursu publico accepi praeconium Alternativorum, quod spectat ad suffragia Bavarica.

Quo introducitur *Gerhardus Viripotens*, a.1969 natus, maritus et pater quinque (!) liberorum, membrum Comitiorum Provincialium, circuli suffragalis *Guntiensis*, loci indicis tertii. Qui primo didicit artem machinarum claustrariam, deinde in *Technicâ Universitate Monacensi* studuit structurae machinarum cognoscendae, postea in *Scholâ Centrali Parisinâ*. Gerhardus scit loqui quattuor (!) linguis idque disertius atque volubilius, quam ut ei in disceptationibus umquam ulla oriatur difficultas cogitata verbis exprimendi ("*verhandlungssicher*"). Îdem vir maximê strenuus (si quidem credimus praeconio) iam ante cursum suum honorum politicum per triginta (!) ferê annos operatus est in oeconomîâ, ut aiunt, liberâ.

Stupendus sanê vir! Dic mihi, quâ in factione politicâ nisi in Alternativâ inveniuntur viri tam ingeniosi tamque docti et industriosi? Si vis habere homines qui a *Gerhardo* vehementissimê discrepant, considera *Prasinos* (velut *Antonium* illum armorum insanê cupidissimum; *Robertum* illum gloriosum ministrum oeconomiae qui nescit

quid sit *insolventia* et Germanorum amore patriae semper taedio correptus evomebat; *Verrucam* illam *Foederalem*, cui Germania videtur esse miserum frustum merdae; *Catharinam G.-E.*, quae exoptat, ut quam plurimi homines peregrini immigrarent in systemata nostra socialia; necnon puellas omnium ingeniosissimas, quae sunt *Catharina Bavarica* Rabulistria anencephalica, *Ricarda Bacciballum* solâ adipositatis causâ honore praesidii ornata, *Annalenula Balbula* Petauristria Latrinologa Ucrainophila, etc., etc. etc.; sed etiam in ceteris factionibus (exceptâ illâ *Sahrâ*) nullam nullumque invenies politicum cum hōc *Gerhardo* aut illo *Curione* aut cum *Aliciâ* aut cum multis aliis Alternativis comparabilem.

Utinam quam maturimê fieri possit, ut tandem baburri et moriones corrupti et inepti fugentur et removeantur a gubernaculo nostrae rei publicae idemque comprehendatur ab hominibus sinceris et verê doctis verêque peritis et prudentibus, quibus persuasissimum est se nihil esse nisi *ministros populi* sibi que supremam legem non esse suam potestatem et opulentiam vanamque suam gloriolam, sed *salutem populi quam maximam!*

Quid tibi videtur, care Naevi? Haec hactenus, mox, si volueris, certê plura. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.2. m.Oct. a.2023 h.12:22

Nicolaus Naevio suo s.

<https://www.wir-sind-kaufbeuren.de/nachrichten/meldung/die-rede-von-oberbuergemeister-stefan-bosse-fuer-demokratie-und-vielfalt-29964.html>

Ecce Stefanus burgimagister Navoensis (*Kofburensis*) superior hypocrita intolerabilis! Incredibile auditu: Iste culus citat verba cantici Germaniae: "*Unitas - Ius - Libertas...*" O quantus hypocrita !!! Non possum tantum ciborum devorare quantum volo vomere! **Vale semper, NIC.**

d.2. m.Oct. a.2023 h.12:38

Naevius Nicolao s.

Habemus quoddam bellum civile intellectuale eo tempore. Mea opinione conservativi habent argumenta meliora (spectantia ad immigrationem, oeconomiam etc), sed argumenta paene nihil valent. Arma Prasinorum imprimis sunt diffamatio et super-moralitas. **Vale, N.**

3.10.2023 14:41

Naevius Nicolao s.

Heri media nocte spectavi emissiones a te commendatas; ille *Musk* profecto vir honestus et fortis esse videtur. Ad incertum revocat politicam prasinam immigrationis, quae est sine modo, sine ratione. Optime! Sed habemusne nunc disputationem veram? Nullo modo. Responsum Baeboeckianum officiale "*Yes. And it's called saving lives*" solum est semi-verum; nihil dixit ista de immigratione eo modo effecta, nihil de impensis ingentibus istius politicae. Istis verbis denuo denegavit colloquium in re, denuo solum ex loco super-moralitatis locuta est. Tamen pro certo habeo magnam partem populi falsa omnia verba eius perspicere - et de eis valde indignari. **Vale, N.**

d.4. m.Oct. a.2023 h.00:36

Nicolaus Naevio suo s.

<https://kontrafunk.radio/de/sendung-nachhoeren/politik-und-zeitgeschehen/kontrafunk-aktuell/kontrafunk-aktuell-vom-03-oktober-2023>

Recte dicis! Horribile dictu! Confectores veneni praemio ornantur!!! **Vale, NIC.**

d.4. m.Oct. a.2023 h.07:59

Naevius Nicolao s.

Analysis bona illius Sutoris - ista Pahl-Rugensteinmeierii verba revera intolerabilia sunt. "*Keine mildernde Umstände für Wähler*"? Nuncne est eligere factiones ideologiae sinistro-prasinae resistentes scelus? **Vale, N.**

d.4. m.Oct. a.2023 h.12:00

Naevius Nicolao s.

<https://reitschuster.de/post/justiz-instrumentalisiert-nazi-bekaempfung-zur-verfolgung-von-regierungskritiker/>

Certe, certe! In Germania nostra - in illa Germania optima omnium aetatum - adhuc nacistae ubique inveniri possunt! Habemus industrias sedulas persequentes istas in speluncis obscuris habitantes. Gratias deo! Si eae non essent, in periculis summis essemus ... **Vale, N.**

05.10.2023 07:59

Naevius Nicolao s.

Legas commentarios odiosos lectorum hic:

https://www.zeit.de/politik/deutschland/2023-10/ingolstadt-afd-chef-tino-chrupalla-krankenhaus-wahlkampf?utm_referrer=https%3A%2F%2Fwww.google.com%2F#comments

Vale, N.

d.05. m.Oct.a.2023 h.10:04

Nicolaus Naevio suo s.

Incredibile! Homines qui se eruditos esse putant (lectores "Temporis"), patefaciunt mentem barbarissimam. **Vale, NIC.**

d.05. m.Oct. a.2023 h.10.16

Naevius Nicolao s.

Rectissime. Clare videmus istos burgenses moralistas in ratione moralitatis decorisque nullo modo meliores, nullo modo superiores esse. Verba eorum optime demonstrant eos habere illud odium, cuius accusare solent "dextros" et conservativos.

Vale, N.

d.05.m.Oct. a.2023 h.14:22

Nicolaus Naevio s.

Modo (die Iovis, h.2. p.m.) audivi nuntios Bavariae radiophonicos. Finge animo: neque de Weidelia neque de Chrupalla nuntiaverunt ullum verbulum. Sed multa blateravit nuntiatrix de mense Septembri huius anni ex omni hominum memoria fervidissimo (quod vehementer addubito !), deque summa: ingenti 6 vel 7 miliardarum, quae erogabitur pro tutela: climatis in terris pauperioribus observanda: (nonne nostra terra talis iam est?) necnon de quodam viro Bavaro 28 annos nato (prorsus ignoto), qui infortunio laophorico illo Venetiensi nuper facto mortuus esset, nec nuntiatrix oblita est enuntiare illum virum ex nonnullis iam annis non iam civem Bavariae fuisse, sed civem Daniae factum esse. O quanta insania! Pro tantis stultitis

nos cogimur, ut solvamus expensas radiophonicas! **Vale semper, Naevi carissime, sceptice te salutat NIC.**

5.10.2023 16:40

Naevius Nicolao s.

Odiöse, sed hoc exspectavi. Media optimae qualitatis nostra haec omnia non videre volunt, itaque istis non placuit de casu eo narrare. Ille Tranquillus composuit symbolam parvam de ea re iniucundissima:

<https://www.tichyseinblick.de/daili-es-sentials/bedrohung-afd-spitzenpolitiker/>

Vale, N.

d.05. m.Oct. a.2023 h.21:08

Nicolaus Naevio s.

<https://www.pi-news.net/2023/10/achtung-reichert-so-will-habeck-mit-wagenknecht-kanzler-werden/>

THESIS IULIANI MIRA ET - PRIMO CONSPECTU - INCREDIBILIS: ROBERTUS PRASINUS VULT CUM SAHRA SINISTRA REPERE IN LECTUM COALITIONIS !!! QUID TIBI VIDETUR? DELIRATNE IULIANUS? AN EST TAM SAGAX UT OLFACIAT REM VERAM QUAE VIDETUR ESSE IMPOSSIBILIS??? REVERA MIRUM EST ET ALIENUM ROBERTUM SUBITO ANTLIAM CALORIFICAM RECUSARE ET NOS COMMONEFACERE HOMINUM PAUPERUM... EX ALTERA PARTE RECORDARE VERBA SAHRAE: PRASINOS ESSE FACTIONEM TOTIUS GERMANIAE STULTISSIMAM !!! NUM EST SAHRA QUAE SEMPER VIDETUR ESSE CONSTANTISSIMA PARATA AD COLLUM SUUM TAM VEHEMENTER VERTENDUM??? NEMO SCIT QUID SERUS VESPER VEHAT... **Vale, NIC.**

d.05. m.Oct. a.2023 h.21:11

Naevius Nicolao s.

Modo inveni cinematium hoc, thesis illius I. mihi sane improbabilis esse videtur, adhuc partes primas - de prasinis - spectavi. mox plura. **Vale, N.**

d.05. m.Oct. a.2023 h.22:04

Naevius Nicolao s.

De ea re Iulianus eo tempore solum suspicari potest.

1. Nescimus quales factiones a populo mox eligantur.
2. Eo tempore prasini multis electoribus valde displicere videntur.
3. Nescio quantum momentum isti Habeckio in factione sua sit. Certe habet aemulos potentes velut istam Baerboeck.
4. Dubito an Sahara velit cum isto prasino libros liberis scribente reperere in lectum coalitionis. Equidem clare videre debemus Sahram esse socialistam (de ideis eius iam scripsi). Acumen eius imprimis spectat ad *analysin politicam*, sed non ad politicam (oeconomicam) realem. Sahara saepe prasinos vituperante coalitio prasino-Wagenknechtiana scandalum verum esset!
5. Istius prasini verba, quae Iulianus in cinematio ostendit, etiam alio modo interpretari possumus. Iste Robertus certe perspexit electores indignari de insania

prasina, de impensis summis a politica summae ideologiae effectis. Itaque imprimis benevolentiam electorum recipere studere videtur. [Valde spero eos Robertum et factionem prasinam punituros esse.]

6. De momento politico futuro factionis novae a Sahara conditae eo tempore etiam solum speculari possumus.

7. Fortasse Iulianus et mandatores sui periculum coalitionis prasino-Wagenknechtianae a fundamentis prohibere student.

Exspectemus quid fiat. Ut recte dixisti, NEMO SCIT QUID SERUS VESPER VEHAT ... Speremus! **Vale, N.**

d.06. m.Oct. a.2023 h.14:48

Nicolaus Naevio s.

<https://newsburger.de/literatur-von-schirach-wuerde-bei-afd-regierungsbeteiligung-auswandern-152235.html>

Istis verbis Ferdinandi sum contristatus et spe deceptissimus: Qui Factionem Alternativam condemnat et diffamat tanta cum vehementia absurda, ut quaerendum mihi sit: Quantum pecuniae iste auctor, cuius lectionem maximi aestimaveram, accepit a gubernatione nostra - an a Sorosianis??? - Quomodo factum est, ut idem defensor poenalis, qui solet argumentari ratione et mente sana, delaberetur in meras calumnias et diffamationes a sana mente remotissimas? - Ferdinandus de Alternativa hariolatur, quasi haec factio sit NSDAP rediviva. Absurdissimum! Schirachius affirmat se, si Alternativi gubernationem susceperint, e Germania emigraturum esse! Talia non semel dixit, sed iterum iterumque enuntiat apud Lanzium et variis in spectaculis televisoriis et in symbolis actorum diurnorum...

<https://www.instagram.com/p/CwcW4gFsSnP/> Autor Ferdinand von Schirach erklärt die unmenschliche Politik der #AfD anhand des Beispiels Ukrainekrieg

Vehementissime vituperat, quod Alternativi postulant, ne gubernatio pergat arma mittere in Ucrainiam. Postulatum indutiarum et pacis disceptando efficiendae Ferdinando videtur esse indicio, quod Alternativi omnis misericordiae et humanitatis sint expertes! Vehementissime indignatur de Russorum crudelitate et atrocitate putativa (mirum! iurisconsultus qualis est, qui sine ulla evidentiā credat omnes fabellas Ucrainiorum horrificas esse veras, Russorum semper esse mente fictas? - estne talis unilateralitas digna homine iurisperito? - Nihil videtur accepisse de illa Lyudmyla Denisowa Ucraina quae mendacia innumera effinxerat de Russorum crudelitate).

<https://www.pi-news.net/2022/06/meldungen-ueber-vergewaltigungen-durch-russische-soldaten-erlogten/>

<https://www.pi-news.net/2022/06/massenvergewaltigungen-spiegel-korrigiert-seine-massigen-luegen-nicht/>

Hochachtung für die ukrainischen Parlamentarier: Sie feuern die Kommissarin für Menschenrechte, weil sie Lügen über russische Massenvergewaltigungen verbreitet hat [Wolfgang Koydl](#). 90 221 6 [Facebook](#)[Twitter](#)[Email](#)[WhatsApp](#)[Telegram](#)
10.06.2022 --- <https://www.nachdenkseiten.de/?p=84712>: "Lyudmyla Denisowa war in den letzten Wochen in den westlichen Medien eine vielzitierte Quelle. Die mit schrecklichen Details gespickten Aussagen der Ombudsfrau des ukrainischen Parlaments für Menschenrechte zu „Massenvergewaltigungen“ ukrainischer Frauen und Kinder durch russische Soldaten passten offenbar gut ins Narrativ. Dann kam jedoch heraus, dass sie sich die meisten Schilderungen schlichtweg ausgedacht hatte. Es folgte ein Misstrauensvotum und die Entlassung. Nun [erklärte sich](#) Denisowa in den ukrainischen Medien. Sie habe mit den Gräuelmärchen doch nur der Ukraine helfen wollen, indem sie den Westen zu Waffenlieferungen bringt. Davon erfahren wir in deutschen Medien natürlich nichts und es ist davon auszugehen, dass Denisovas Gräuelpopaganda auch weiterhin von deutschen Journalisten und Politikern weiterverbreitet wird. Von [Jens Berger](#)...."

Mirum sane est, quam insane loquatur iste Ferdinandus furiosus, qui mihi semper visus erat esse rationalis! Cuius fabulas tanta cum admiratione legeram, ut toga ornarem! --- Nescio quid dicam plura... Quid tibi videtur de Ferdinando? Num revera

cecidit in insaniam? An a Sorosianis est corruptissimus? An timet, ne libri sui prohibeantur??? **Vale semper, NIC.**

d.06. m.Oct. a.2023 h.16:31

Naevius Nicolao s.

Res mihi sane simplex esse videtur. Etsi Ferdinandus auctor optimus est, etsi summa sollertia scribere postest, etsi nobis vir doctus esse videtur - haec omnia nihil significant quod attinet ad opinionem eius politicam. Admiramur etiam fabulas illius Tolstooi, etsi scimus eum fuisse virum summi dogmatismi et advocatum super-moralitatis quasi prasinae. Etiam opinor nonnullos sinistros sollertiam Acerarii illius (clandestine) diligere, sed locum politicum eius despiciere. Fortasse nobis placeret cum ista prasina Claudia nonnullas horas fabulari de theatro et aliis rebus levibus, sed pro certo habeo me numquam cum ea consentire posse de rebus politicis velut immigratione, moralitate, egalitarismo prasino etc. - Distinguere debemus hominem ab operibus, hominem privatissimum ab opinione politica. Non impossibile, sed certe difficile est. **Vale semper N.**

d.07. m.Oct. a.2023 h.08:51

Naevius Nicolao s.

<https://www.mmnews.de/politik/205613-afd-chef-einstich-mit-spritze-die-ganze-schockierende-wahrheit>

Ut iam diu scimus, media nostra optimaе qualitatis sine ira, sine studio narrant de ea re ... Veritatem non invenire student, veritatem suam faciunt. **Vale, N.**

d.07. m.Oct. a.2023 h.15:45

Naevius Nicolao s.

[https://de.wikipedia.org/wiki/Wolfgang_Welsch_\(Fluchthelfer\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Wolfgang_Welsch_(Fluchthelfer))

Etiam ista "securitas rei publicae" (STASI) tales neces "hostibus socialismi" parabat et parare studebat; methodi nacistarum et socialistarum sane similes sunt. **Vale, N.**

d.08.m.Oct. a.2023 h.22:31

Nicolaus Naevio s.

Iucundum sane colloquium fuit - tibi assentior! Quid tibi videtur de suffragiis Bavaricis et Hassicis? Alternativis eadem haud male evaserunt!

Sed animadverto multos - etiam conservativos - iisdem invidere successum excellentem. Ut exempla afferam: Etiam bonus Tranquillus non vere favet Alternativis, neque Herles neque Kraus neque Thilo Sarrazinus neque Maassen... Qui adhuc - falsissime - credunt Christianodemocratas adhuc posse reformari - oh quantum errant isti conservativi...! Quae factio per sedecim annos horribiliter merkelizata secutura est exemplum Italianae "Democratiae Christianae" - et hoc est optimum! -- Incredibile fuit, quam malevole et irrisorie multi politici et diurnarii scriberent de Weideliae Chrupallaeque infortunio. Incredibile in quantas abyssos nostra societas iam delapsa sit! – In Bavaria Aiwanger - ut credit Iosephus Kraus - nonnullas partes centesimas peperit folii illius volatici causa - i.e. hominum misericordiae et indignationis causa, non propter programma Electorum Liberorum - quod est satis inane parumque differt a factione Söderiana.... Dyrannus Frango baululum dandum amisit - quod doleo. Post insidias eius et dissimulationes necnon

mendacia ingentia gonoraria et alia iam pridem ei est dempns abeundi... Sed nisi mundus totus, quaedam pars Bavariae nimis magna vult decipi - ergo decipiatur! --- Deo gratias Lindneriani et Sinistri mox ad malam crucem abituri sunt - saltim in praesenti sic mihi videtur. – Incredibilis et intolerabilis est fortuna Prasinorum nimis secunda, parum adversa: Quomodo fieri potuit, ut - adversus Habeckium et Bärbooculam eorumque absurdam politicam externam feministicam et insaniam insolventiae atque antliae calorificae et adversus illa innumera Prasinorum deliramenta - adhuc 15% (quindenae partes centesimas) acciperent? Consternatus sum et obstupefactus: Catharinula ista stupidissima iubilat de Fortunae favore nimio! Haec hactenus raptim tibi scripsi de suffragiorum resultatis. --- Quae tibi videntur haec suffragia Hassiae Bavariaeque consideranti? **Vale semper, NIC.**

d.08. m.Oct. a.2023 h.23:20

Naevius Nicolao suo s.

Recte - tibi etiam assentior. Tempus ad responsum prolixum nunc me deficit, sed puto illum Vosgerau de fortuna prasinorum verba vera fecisse. Dixit 15 % (quindenae partes centesimas) habere opinionem prasinam quasi *religiosam*; quamobrem eos eligere semper et sine ulla exceptione prasinus - mundo pereunte. Hoc, ut opinor, est signum quoddam istius animi Germanici, istius fanatici, quem in historia Germaniae saepe observare possumus. Odium patriae est signum prasinorum, sed in hoc fanatico ei sunt Germani typici, etsi numquam hoc cōfitentur. Assectatores prasinorum distinguere moralitatem a rebus publicis non posse videntur. Periculose et iniucunde! - Sed valde gaudeo hac re: Electores Hassici non iam probant istam Faeseram intolerabilem. Si ista excetra decora esset, mox magistratu se abdicaret.

Medullitus te salutat N.

d.09. m.Oct. a.2023 h.15:17

Naevius Nicolao s.

Care amice, cras in provinciam remotam - qua Anglice "Caithness" dicitur - proficiscar; otio fruar et venatione. Die Saturni redibo. Utinam mihi otium sit a omnibus bacciballis, Catharinulis, prasinis et insania ab eis effecta ...**Vale semper N.**

d.09. m.Oct. a.2023 h.20:50

Naevius Nicolao s.

<https://www.youtube.com/watch?v=rjhGLScnFLk>

Melania "Ab Alternativis vis obscura, vis negativa oritur..." Risum tenere non iam possum. O Melania, nomen *tuum* omen est! **Vale, N.**

d.09. m.Oct. a.2023 h.21:53

Nicolaus Naevio s.

MELANIA VALDE AEGROTA EST ! SOLLICITOR DE ISTIUS PUELLAE VALETUDINE! DOLEO ETIAM GEORGIUM ET IOHANNEM CARNIFICEM MENTE ALIQUATENUS CAPTOS ESSE. "ENERGIA OBSCURA PROFICISCITUR EX ISTA FACTIONE" - DELIRANT ISTI ! SUSPICOR ISTOS HOMINES FURORE PERSECUTIONIS CORREPTOS ALTERNATIVAM DAEMONIZARE. INSANIA ET VESANITAS !!! **Vale, NIC.**

d.09. m.Oct. a.2023 h.22:09

Naevius Nicolao s.

Fortasse aegrotat. Fortasse ea hanc scaenam "Bellum astrorum" nimis saepe spectabat et nunc multa scit de "illa vi" obscura. <https://www.youtube.com/watch?v=YnNSnJbjdws> Recte, omnes menta captos esse videntur, non iam diurnarii sunt, sed missionarii! **Vale, N.**

d.09. m.Oct. a.2023 h.22:16

Naevius Nicolao s.

Alicia ira inflammta optime locuta est! **Vale, N.**

d.20. m.Oct.a.2023 h.12:12

Nicolaus Naevio s.

Quamquam valde admiror Sahrae formam, eloquentiam scientiamque, nunc suspicor fieri posse, ut eadem mulier novam factionem conditura impediatur, ne patria nostra servetur salutariter unica factione verae oppositionis gubernaculum rei publicae nostrae suscipiente. Num haec Venus docta revera in animo habet destruere aut saltem debilitare eos quos habet pro "dexterrimis"? Creditne revera nostrae rei publicae perniciem minus esse Prasinis Prasinoideos, quam Alternativos? An nihil colit nihilque fovet nisi gloriolam suam? O quantum esset infortunium, si ultimus conatus patriam servandi propter mulieris tam ingeniosae studia ambitiosa ad irritum redigeretur! Tot habemus mulierculas gubernationis participes stultitia sua nocentissimas - num in fine interibimus ambitione ingeniosissimae? Quid sentis, Naevi sagacissime? Vale semper clausuris incumbens tamquam ovis suis gallina felicissima. **Medullitus te salutat NIC.**

d.21. m.Oct. a.2023 h.11:45

Naevius Nicolao s.

Nescio quia ignoro Sahram privatam. Mihi videtur eam esse sane ambitiosam, sane dogmaticam. Profecto putare videtur Alternativos nocere rei publicae, etiam clare videt burgenses moralistas - velut prasinos et eorum assectatores - omnino ineptos esse ad rem publicam gubernandam. Sed quid concludit? Novam factionem esse condendam. Sed, ut opinor, factione illa condita consilium non prudens cepit: Iam saepe dicebam analyses Sahrae summi acuminis esse, sed eam commotam esse summo dogmatismo - imprimis quod attinet ad oeconomiam. Socialista est et in aeternum erit. Quamobrem factione condita rem suam egit, sed rei publicae saluti non fuit. **Vale semper VN**

d.02. m.Nov.a.2023 h.18:34

Nicolaus Naevio s.

https://www.youtube.com/watch?v=SR8Di_evg4o Abermals israelische Luftangriffe auf Dschabalja

Ecce novum scelus bellicum - ubi est Annalenula ministrula nostra rerum externarum? Vale, **NIC.**

d.02. m.Oct. a.2023 h.18:49

Naevius Nicolao s.

Annalenula visitat puellam, quae eam et Habeccium fucare solet - civibus pro officio illo summi momenti solventibus. Quamobrem tempus ad recte fungendum munere eam deficit. Fortasse etiam cogitare debet de conversione CCCLX graduum.

d.05. m.Nov. a.2023 h.20:45

Nicolaus Naevio suo optimo s.

Gratias plurimas pro explicationibus doctissimis! Utinam in rebus politicis tandem sana mens rationis particeps et perspicuitas notionum et definitionum in locum supponantur vanae ostentationis amicitiarum et misericordiarum et paenitentiarum vanae et stultae et inanis et hypocriticae, quae in fine nemini prodest omnibusque nocet. - Quidnam turpe est Americano dicere primam civitatem maximeque aestimandam sibi esse Americam? Quidni liceat omni civi huius mundi idem dicere de civitate sua? Num revera turpe est dictu unicuique homini et rei publicae tunicam sibi esse propiorem pallio? - Sapienter mihi videtur dixisse praefectus ille generalis *Carolus de Gaulle* res publicas non petere amicitias, sed commoda sui.

Vale semper, NIC.

d.05. m.Oct. a.2023 h.22:31

Naevius Nicolao s.

Ille Carolus Francogallicus recte et bene dixit. Longe aliter ac isto Habeccio blaterante is artem rem publicam bene gubernandi scivit. - Quod attinet ad virtutem quam Theodisce dicimus "Realitätssinn" - qualis conversio tibi apta esse videtur? Quomodo convertamus "Realismus, realistisch" in linguam Latinam?

Gratias tibi agit et medullitus te salutat VN

d.05. m.Nov. a.2023 h.23:00

Nicolaus Naevio s.

In his notionibus Latine reddendis parum valent circuitiones verborum; praestat verba moderna ad formas Latinas redigere: *realismus, -i m. - *realista, -ae m. - +realitas - sensus +realitatis - *realizare i.q. ad effectum adducere. Quae verba iam pridem in Latinitatem transducta sunt; e.g.: J.F. HERBART: Comm. de **realismo** naturali. Göttingen 1837; Kuno FISCHER: De **realismo** et idealismo. Progr. Jena 1858; H. DEHOVE: Qui praecipui fuerint labente XII saeculo ante introductam Arabum philosophiam temperati **realismi** antecessores. The. Clermont 1908. --- Carl Friedrich LECHE: De vi et indole contentionis inter **realistas** et nominalistas. Lund 1831. --- +**realitas**, -atis f.: a.1120, DuCANGE; LATHAM, Medieval word-list 1965, 392. - ***realizare**, -o: Georg Lurz, Societas Latina, 1952,17. - Haec hactenus breviter, mox certe plura. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.6. m.Nov. a.2023 h.07:18

Naevius Nicolao s. Optime, gratias summas tibi ago! **Vale, N.**

d.17.11.2023 h.00:45

<https://www.youtube.com/shorts/z2vfYbG0a4E>

Nicolaus Naevio suo s.

Explica mihi, quid sibi velit! Dissimulatne? Estne hypocriticus an mente captus? Vultne se a Prasinis et Socialistis seiungere? Quomodo? - Nos ex pluribus annis cogimur, ut salutemus petasum Gesslerianum. Quid de isto trossulo mendaci gloriatore liberalismi??? Explices mihi hoc, care Naevi. **Vale semper, NIC.**

17.11.2023 07:56

Naevius Nicolao s.

Iam audivi, nescio. Certe scit iste trossulus (cuius vestes tamen placent) se fregisse omnia principia liberalismi, se fregisse etiam constitutionem. Nunc studet in scaenam prodire ut heros laborans insania prasina. Ergo puto eum hypocriticum vel histrionem esse. Si se a Prasinis et Socialistos seiunxisset, si foedus istud cum eis non fecisset, fortasse politicus mansisset. Sed eo modo potestatis causa in foedere politico ineptissimo perserverare videtur. **Vale, N.**

d.19. m.Nov. a.2023 h.11:14

NICOLAUS NAEVIO S.

Neque placet mihi tractatio conflictus Israeliano-Palaestini parum sapienter unilateralis (etiam bonus Burghardus in hac re fallitur flebiliter)* neque Kissleriana stupiditas anti-alternativa. Itaque adiungo sententiam foristae, cui nomen est Rudigerus Stobbe. Revera interdum forum melius est ipsa emissionem. Utinam tibi tuisque sit dies Dominicus recreabilis. **Vale semper, NIC.**

*Methodus Israeliae a Generali **Ferrimerda (Eizenkot)** excogitata adhibetur cum perseverantia horribili: Sub praetextu "scutorum humanorum" gens, quae sibi videtur a Deo electa esse, non solum in nosocomia, sed etiam in scholas hominibus civilibus plenas sine ulla misericordia bombas iniciunt. Non agitur de Hamasianis (qui multo infirmiores sunt, quam superent milites Israelianos armis altioris technicae subtilissimis instructos semperque ab America adiutos), sed de omnibus Palaestinis extirpandis. Ipse Beniaminus Furcifer provocat ad exemplum biblicum illius urbis AMALEK. - Tales homines quales Burghardus (cultu culpae - ut nos Germani paene omnes - imbutus) credunt Israeliam ab despotis Islamicis circumdatam esse propugnaculum valorum occidentalium ("western values"). Dic mihi num doctrina Generalis Ferrimerdae et saevitia Beniamini Furciferi tigrina congruant cum "valoribus occidentalibus"! Nonne isti tyranni ingenti superbia phyletistica obsessi agripetae avarissimi revera ipsi sunt digni nomine "bestiarum humanarum" (Galand: "human beasts")? Noli mirari maiorem partem mundi ("austri globalis") odisse Israeliam et misericordia affici hominum Gazensium civilium et innocentium.

d.19. m.Nov. a.2023 h.12:40

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, nondum audiui; illam emissionem a te valde vituperatam non audiam. Eo tempore etiam puto me nimium temporis degere in interrete; vix lego litteras; timeo ne dediscam legere libros ... nuper denuo inveni narrationes (fabulas?) illius Mann velut "Der kleine Herr Friedemann", "Tod in Venedig", "Der Bajazzo", multas ceteras; optime placent. - Ceterum, heri socrus (ex Tremonia) per telephorum appellavit lacrimans, narrans se cancro insanabili pancreatis laborare. Nuntius horribilis! Nobis omnes cogitationes dirigendae sunt in eam adiuvandam; ut certe bene intellegis, otium ad commercium epistularum nostrum et ad res alias me nunc partim deficiet. Multa negotia privatissima transigere debemus; uxori auxiliari debeo.

Vale semper Naevius

ALEXIUS VESTIGIARIUS

d.19. m.Sept.a.2023 h.16:08

Nicolaus Leo Latinus Alexio Vestigiario s. s.v.b.e.e.v.

Care Alexi, accepistine Epistulam Leoninam 284, quam hesternam nocte tibi misi? Propter defectum avis tonitrualis (Mozilla Thunderbird) non certo scio, num epistolium meum recte transmissum sit. Semper vale, **Nicolaus Leo Latinus**

d.25. m.Sept. a.2023 h.08:13

Alexius D.ri Nicolao Gross s.q.p.d.

Gratias tibi plurimas ago pro epistula et pro novissimo fasciculo, qui bene mihi allatus est; ignoscas, rogo, quod non statim respondeo. - Ut semper insunt multae res lectione dignae, utinam vacet omnibus legendis! Benigne facis Aledarii praeconium iterans, sed Aledarium non iam exstat:) Priore mense id delevimus paucioribus (circiter 75 modo) subnotatoribus omnibus tacentibus. Erant quasi Gogolianae animae mortuae, quae condicio displicebat. Scripsi de historia Latinitatis vivae, de prioribus ab Avellano ad P.rem Caelestem cultoribus, praebitis imaginibus librisque, sed historia huius disciplinae nulli esse curae et cordi videbatur. En fortasse causa, cur nemo nostratum hodie in sodalibus Academiae Latinitati Fovendae numeretur, multine sunt Russi qui pro periodicis Latinis scribant? - Iterum tibi gratias ago atque habeo ob commentariolum de patre divulgatum. Cura, ut optime valeas! **Alexius**

d.25. m.Sept. a.2023 h.13:31

Nicolaus Alexio suo optimo sal.pl.

Gratias plurimas pro responso tuo. Doleo, quod Aledarium nimis paucos habuit lectores. In hac re etiam Leo Latinus saepe spe deceptus est. Tamen ne spem abiciamus, care Alexi, et una impigerrime pergamus Latinitatem vivam defendere, cum persuasum nobis sit post longos errores in fine victoriam parituros esse homines bonae voluntatis... Nuper de cantilenis per litteras colloqui sumus, care amice. Ad hanc rem disputatam velim aliquid addere: Tunc umquam aliquid audisti aut legisti de IVANO REBROFF (2031-2008)?

https://de.wikipedia.org/wiki/Ivan_Rebroff

<https://www.youtube.com/watch?v=jA8NAk8iXjQ>

Ivan Rebroff - Wolgalied 1996

https://www.youtube.com/watch?v=o4wGXj06_m0

Ivan Rebroff- Mein Russland, bist du schön

<https://www.youtube.com/watch?v=I3bli2t40pU>

Ivan Rebroff - Song Of The Volga Boatman

(quem cantum mihi in exsuperabiliter videtur cantavisse longo antea Leonides Kharitonov voce vere tonitruali:

<https://www.youtube.com/watch?v=0tw3g88JtWA>

Leonid Kharitonov (Леонид Харитонов)

In Germania *Ivanus Rebroff* in claritudinem pervenit canticis ad Russiam pertinentibus, quae voce sua bassa admirabili cantabat (interdum maxime mirabiliter mutabat vocem a profundissima ad altissimam). Solebat personam gerere Russi aetatis priscae: barbatus, mitella pellicia indutus, sclovia per plagas nivosas vehens, de pulchritudine regionum Russiae et puellarum deque bibendi gaudiis iubilans (hyalum post potum parieti obiciens)...

Quatenus verus Russus fuerit, haud certe scio; in nostra phantasia simplici videbatur Russus esse maxime typicus...sed memini eum aliquando etiam magnum iter per Russiam fecisse cantica Russica cantantem.

Unum autem eius canticum memoriter teneo, quod cantabat sermone theodisco et quod spectat ad professionem patris tui (doleo, quod hanc cantilenam non invenio inter youtubianas): de Bono Nauarcho Fluminis Volgae, cui (aetate Russiae Caesariana) mandatum erat, ut nave sua magnam copiam auri per flumen Volgae transportaret. At cum procella exorta esset, periculum fuit, ne navis pondere auri submergeretur. Itaque bonus nauarchus, ut nautas suos servaret, toto auro in Volgam iniecto ipse in aquam se praecipitavit. Memini textum unius lineae cantilenaе Rebroffianae: "*Da warf er das Gold in die Wolga, entschlossen sprang er hinterher.*" Placet mihi haec fabula boni nauarchi fortissimi, qui propriam vitam sacrificat, ut nautarum servet. Hoc enim praeceptum est inter nautas vere probos atque honestos: naufragio facto nauarchus navem ne relinquat nisi ultimus!

Itaque ex te quaero: Exstatne talis narratio popularis revera in Russia? Habesne textum? An est haec res conficta ab Ivano Rebroff aut eius scriptore textuum? Quid tibi videtur? - Pro responso tibi gratias ago iam in antecessum! Vale semper pancratice, care amice, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.19. m.Sept. a.2023 h.15:12

Nicolao s.

Epistulam accepi, quae valde salivam mihi movet! mox plurima! **Vale, Ansgarius.**

d.21. m.Sept. a.2023 h.08:50

Nicolao salutem Ansgarius.

Gratias tibi ago pro epistula Leonina copiosa atque iucunda, quamquam non omnia perlegi. Imprimis studium movet symbola de virtutibus Romanorum, quam in animo habeo septimana exeunte legere. Quantum ad interitum Imperii Romani attinet, non miror quod textus Professoris Demandt recusatus est, cum in numerum rationum, quibus potestas Romana labefacta est, referat affluentiam immigrantium. Nam in Germania, si rem teneo, non aliter quam in Francogallia aut aliis in nationibus Europaeis, si quis propius inspexerit rationem immigrationis infinitae aut altius repetiverit Saracenorum inimicitiam cum Occidentalibus, certe non summum discrimen effugiet! Notam enim infamiae ei inurent politici, diurnarii, homines bene morati, omnesque asseclae potentium! Quapropter, ut coniectura collegi, veri simile est fore ut Europa, immigratione ab nationibus Saracenorum magis magisque in diem crescente, gradatim sub legem Islamicam redagatur et Europaei non inviti iugum servitutis accipiant. Neque enim dubito quin, multi homines Europaei, praesertim socialistae, mancipium vile, ut quidem sentio, animo libentissimo ad religionem Mahometi se conversuri sint. Cur? homunculi Europaei omissam fecerunt religionem maiorum pariter ac cultum civilem suum, ut mirum in modum idonei sint cum servituti, tum ut demissionem animi quam diligentissime colant. Nonne philosophia moralis, quam studiose fovent socialistae magis servorum propria est quam hominum ingenuorum? Alioquin, neminem fugit, qui saltem monumenta rerum gestarum strictim evolverit, quemadmodum gravissimum odium in cultum civilem Europaeorum profiteantur Saraceni. Certe Islamismus, magis quam aliae religiones, semper cum ratione politica dominandi iunctissima fuit. Qui bellum semper recusat, ad ultimum serviturus est. Ut exemplum afferam. Si patria summum in periculum vocetur, Ursula von der Leyen Bruxellensis, an Leonidas Spartanus ad arma sit vocandus? Igitur, iam pars Africae sub regno Mahometorum Europa aestimari debet. Utrum hoc bonum an malum sit censendum, plane nescio. Sub luna omnia perpetuo mutantur. Et potest fieri ut Europaeis hodiernis servitus sub legem Islamicam cumulum felicitatis afferat. **Cura ut valeas!**

d.21. m.Sept. a.2023 h.10:29

Nicolaus Osloensi suo splendissimo sal.pl.dic.

Gratias plurimas, care amice, pro analysi tua immigrationis, cui (excepta ultima coniectura tua quae spectat ad cumulum felicitatis) non possum quin prorsus assentiar. Verissime intellegis Europam esse infirmiore quam ut resistat islamismo immigrantium propter infamem religionis cultusque civilis proprii negligentiam. Politici quidem nostri (globalistis Americanis canina cum devotione dediti) alias nationes accusantes non desinunt superbe blaterare de "valoribus occidentalibus" - sed difficile est tales valores reperire sub reliquiis et parietinis monumentorum iam pridem dilapsorum. Quod nobis restat, ut faciamus: - purgamenta magnitudinis prioris perscrutantes speramus fieri posse, ut hoc aut illud cimelium repertum restituamus. Vale semper philosophice, mi care Ansgari, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus.**

d.05. m.Oct. a.2023 h.09:59

Nicolao salutem Ansgarius!

Septimana superiore symbolam Leonis latini de virtutibus Romanis non sine gaudio perlegi. Investigationes enim, quas causas et consecutiones habeant virtutes, maximum concitat studium. Cum Romani, non aliter quam maiores nostri, pro certo haberent, quam raro dei ullam rem sine labore hominibus impertiarentur, nunc temporis, homunciones animi pusilli ingenioque ignavo virtutes in ludibria turpiter vertunt, quippe qui memoria vacillantes iam non recordentur, quamdiu strenueque olim permulti homines, saeculis volventibus, operam dederint, cum ut commoda vitae perfruerentur, tum ut fundamenta artium scientiarumque iacerentur. Labor ita omnia vincit, ut nec animorum inertiae, nec negligentiae artium officiorumque ulla res publica resistere possit. Homunculi autem hodierni, praesertim in nationibus Europaeis, pro virtutibus iura hominum, quae vocantur, aequo diligentius, et in perniciem suam, colunt atque fovent. Nam ius, officiiis neglectis virtutibusque aspernatis, omnino nihil valet. In Germania, non secus atque in Francogallia, ut exemplum afferam, voce stridula vultuque insubido homunciones, mente captorum haud dissimiles, omnibus horis clamant, democratiam esse tuendam, ne clima periclitetur, neu iura immigrantium ullum capiant detrimentum. Quod sane hominibus nasutis, nec prorsus rerum gestarum ignaris, cachinnum movet. Nisi enim nobis esset magna copia energiae, quam iam exeunte saeculo undevicesimo praebebat industria petrolera, nec democratia, nec iuribus hominum, nec libertate sexuali, quae inepte vocatur, liceret frui in civitate nostra. Ratio regiminis, quae capitalismus vocatur, citra fontem energiae uberrimam nullo pacto postest manere. Quis autem tam desipiens ut ignoret, quam dolose ius suffragii, non aliter quam iura feminarum hominumque in mares libidinis proniorum, in nationibus occidentalibus concessum sit, ut homunciones emptores cupidiores ac diligentiores fierent? Hic sola pecunia regnat. Itaque, beneficia commodaque, quorum in numerum democratia quoque referenda, quae cultus virtutum studiumque scientiarum atque artium hominibus largiantur, tempore progrediente, ob nepotum ignaviam ac luxuriam, sensim sine sensu evanescent et in nihil occidunt. Certe, potest fieri ut tempora duriora rursus homines strenuos ac fortes, ut aiunt, nec virtutis aversos, pariant atque stimulent. Atqui excusatum me habeas, qui more meo verbosius deliro quam epistularum angustiae sinunt. Cura ut valeas! **Bellicose te salutat Ansgarius**

d.5. m.Oct. a.2023 h.10:48

Nicolaus Ansgario suo bellicoso sal.pl.dic.

Gratias tibi ago immortales pro considerationibus tuis politico-psycho-logicis! Cimelio tuo epistolographico libentissime ditificabo proximam Epistulam Leoninam. Inquieta sunt tempora in Germania, mi care Ansgari: Heri Tino Chrupalla alter dux Alternativae Factionis, siphunculo afflicto esse videtur. Itaque cataplexiam anaphylacticam passus in nosocomii stationem intensivam allatus est. Siphunculus videtur eidem viro iniectus esse a duobus adolescentibus, qui in propinquo a biocolytis comprehensi et perquisiti, sed postea dimissi sunt. Qualis substantia infuerit siphunculo, adhuc incertum est. Quicumque iniectores sunt, pro certo habeo

eosdem instigatos esse a politicis gubernationis, qui (ab ipso praeside foederali usque ad milites factionis gregarios) iterum iterumque Alternativos diffamabant, quasi iidem essent nacistae sceleratissimi (quales eosdem manifestum est nequaquam esse!) Die Dominica fient suffragia in Bavaria et Hassia. Augetur in dies violentia erga Alternativos.

Aliciae Weidel ducissae eorum una cum familia sua domicilium fuit mutandum propter attentationem imminens.

Quare Alternativi tam violenter petuntur? Si iidem vicerint, patefient scelera istorum, qui nunc nos gubernant pessime... Ucraina non iam adiuvabitur - quo fieri possit, ut bellum finiatur globalistis lucrosum. Et patefiet, qui culpam contraxerint displosionis gasiductus....(Cancellarius noster in suspicionem venit fuisse conscius, immo consocium istius attentationis tromocraticae ingentis... Haec raptim, mox, si volueris, certe plura.. Tu ne cede malis, mi care Ansgari, sed contra audentior ito! Vale semper pancratice, medullitus **Nicolaus Leo Latinus**.

d.26. m.Nov. a.2023 h.00:38

**NICOLAUS LEO LATINUS ANSGARIO SUO OPTIMO OSLOENSI
SAL.PL.DIC.**

Christianus Laes Belga Praeses Academiae Latinitati Fovendae noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit zoomianae acroasi faciendae. Nonne tibi placet coram Academia nostra per visificium (Bildschirm) nobiscum communicare **scientiam tuam Artis Figurativae** aut aliam? Perplacent mihi tuae epistulae, quibus soles patefacere scientiam multam, magnumque mentis acumen. Libentissime te oratorem praesidi commendabo. Pro certo habeo Latinitatem tuam honori fore Academiae. - Ipse paratus sum ad *Epistolographiam* tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? Quidam auctor Britannus, cui nomen est **Simon Garfield**, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("*To the Letter. A Journey through a Vanishing World*"). Idem Simon contendit propter epistoliorum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Equidem Simoni contradicam. Nam his 50 fere annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronica nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. - Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldiana? - Scribas mihi quam maturime, ut sciam, num paratus sis. Dies nondum certus est; indica mensem (Ian.- Febr. - Mart.). Vale pancratice, mi care Ansgari, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **NICOLAUS LEO LATINUS**

d.26. m.Nov. a.2023 h.15:52

Nicolao salutem Ansgarius,

Libenter acroasem de invisibilibus in arte pictoria agam, cum de litteris coram homunculis feminisque doctissimis disserere minime audeam. Postea synopsis argumenti mittam. Fortasse mense Martio, si vobis convenit? Aute mense Februario, si magis placet Academiae? - Quantum ad artem epistolas scribendi attinet, tibi

prorsus assentior. Commercium epistolare interretialiter non minus feliciter colitur quam olim labore tabellariorum. Iam mulri anni sunt cum amicis Hispanicis epistolas scriptito, de litteris et de rebus gestis Hispanicorum. Forsitan non sint epistulae doctissimae, neque vero prorsus inanes ac frivolae. - Haec breviter, nam modo Lutetiam adveni, ubi in animo habeo non nullos dies molliter ducere, Bacchum ac Musas pie venerando. **Gallice te salutat Ansgarius**

MARCUS CRISTINI

19.9.2023 16:09

Marcus Nicolao spd

Epistulam Leoninam accepi, pro qua gratias tibi maximas ago! Eam libenter legam, cum primum mihi paululum fuerit otii. Optime vale

d.10. m.Nov. a.2023 h.15:43

BUTYRUM ET MEL COMEDE... .. UT SCIAS REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM !

NICOLAUS MARCO SUO BRIXIANO OPTIMO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.

Quid agis, Marce carissime? Utinam bene valeas! Equidem optime valeo rebus lexicographicis immersus novam Epistulam Leoninam conscripturus. - Desidero autem mentem tuam acerrimam bonarumque artium litterarumque nasum probatissimum. Necnon bene spero fore, ut tu, quo es acumine mentis eximio, diffundas nubes nebulasve praeconationis officialis densissimas, quibus cottidie circumvolvimur.

Itaque rogo te, ut mihi scribas quid tibi videatur de duabus relationibus sequentibus, quas inveni in criticis commentariis, qui appellantur "Zona Grisea". Statim videbis easdem vehementer discrepare a nuntiis, quos accipere solemus in solitis actis diurnis scriptos. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerint. Animo suspenso exspecto responsum tuum.

Vale semper pancraticae.

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

<https://thegrayzone.com/2023/10/11/beheaded-israeli-babies-settler-wipe-out-palestinian/>

Relatiunculae, quibus narrantur infantes Israeliani a Hamasianis decapitati esse, sunt a gubernatione Israeliae mente fictae eo fine, ut homines intra et extra Israeliam crederent Hamasianos vere dignos esse, ut tractarentur tamquam "humanae bestiae" (Galant, minister defensionis).

Tales relatiunculae in memoriam nobis revocant illa mendacia incubatoriorum ("Brutkastenlüge", "incubator allegations") et armorum destructionis massalis ("weapons of mass destruction"), quibus praetexendis gubernatio Civitatum Unitarum causam attulit belli Iraciani indicendi.

BUTYRUM ET MEL COMEDITE UT SCIATIS REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM !

<https://thegrayzone.com/2023/10/27/israels-military-shelled-burning-tanks-helicopters/>

d.12. m.Nov. a..2023 h.17:38

Marcus Nicolao suo s.p.d.

Gratias tibi maximas ago, sodalis optime, pro epistula electronica mihi missa, cuius testimonia a diurnariis collecta animum commovent. Verisimile est nonnullos cives Israelianos ab ipsis Israelianis militibus ob errorem et ingentem animi perturbationem necatos esse, ut pro dolor fieri solet cum hostes necopinato castra, pagos et oppida nocte intempesta aut primo mane adgrediuntur, sed opinor percussores Hamasianos maximam partem iugulavisse, ut dilucide ostendunt scopocamerae quas tromocratae secum tulerunt, ut caedem in interreti quam latissime divulgarent. Quod ad infantes decapitados attinet, timeo ne relationes quae diebus insequentibus innotuerunt verae sint, cum tromocratae Islamici saepe captivis caput praecidant et nefarii sectae ISIS exemplum immane ad imitandum praebuerint. Ceterum nemo est qui dubitet de odio Hamasianorum erga Israelos, ut iterum iterumque vidimus decennis proximis praeteritis, et Hamas nullum habet exercitum, cuius milites iussis obtemperent, sed cohortes complures nefariorum quoquo modo congregatorum, quibus nulla est disciplina militaris.

Cum in commentariis diurnis legerem et nuntiis televisificis viderem quae in Israelia die 7. m. Octobris facta essent, magno timore magnaue maestitia affectus sum, quia imagines terribiles huius diei ad misericordiam civium Israelianorum me induxerunt. Adde quod Palaestina per semisaeculum magistra fuit tromocratae internationalis et scelera a sicariis Palaestinensibus patrata alii tromocratae postea aemulati sunt. Cogitamus exempli gratia de abductionibus aeroplanorum, quibus facinorosi Arafatiani civibus insontibus et Israelianis et Hesperiiis crebro insidiati sunt quibusque postea Osama Bin Laden Civitates Foederatas Americae die 11 m. Septembris oppugnavit. Palaestinenses Israelianos permultos in mediis urbibus cultellis mactaverunt et hoc nunc in Europa quoque accidit; ipsi autocineto citato complures, qui in viis ambulabant tranquilli, straverunt et idem fecit tromocrates qui d. 14 m. Iulii a. 2014 in urbe Francogallica Nicea homines mulieresque sine ulla misericordia autocineto onerario contrivit. Nunc vereor ne - exempli gratia - tromocratae Libyci cymbis minimis celeribusque vecti pagum Siciliae vel Italiae meridionalis ex improvise adorianur, incolas aut iugulent aut rapiant, nonnullos ad Africam vi ducant et dein pretium poscant ut eos liberent. Quod Deus avertat!

Ad alia autem eaque delectabiliora transeo. Nam ad te labores lexicographicos Herculeos exanclantem mentem nuper verti, cum forte in Bibliotheca Queriniana Brixienti incidi in Caroli Egger *Lexici nominum locorum supplementum referens nomina Latina-vulgaria*. Fateor me lexicon Eggerianum locorum magno emolumento multos per annos versavisse, sed supplementum numquam in manu tenuisse. Tibi libenter mitto exemplar supplementi in formam .pdf redactum, exoptans id tibi subsidio fore.

Praeter negotia academica usitata his mensibus insudo conspectui poetarum Latinorum saeculi vicesimi primi conscribendo, ut conspectum illum de poetis Latinis saeculi vicesimi a Iosepho IJsewijn conscriptum et dein a Theoderico Sacré auctum -

quantum possum - ad diem hodiernum perducam. Babae, quam multi ab anno 2000 usque ad diem hodiernum versus Latinos panxerunt! Musae tertio millennio ineunte minime tacent, ut haud pauci timebant saeculo vicesimo ad occasum vergente. Iam fere 350 poetas et carmina plusquam 6000 inveni, sed numerus cotidie crescit.

In conspectu non solum nomina auctorum, sed inscriptionem quoque cuiusque carminis, metrum (minoribus exceptis) et librum commentariumve, quo typis versus traditi sint, ab oblivione vindicare in animo habeo. Quo facto prooemium scribam et pauca de statu poesis hodiernae deque rationibus cum vatibus saeculi praeteriti dicam. Ut facinus hoc perficiam libelli permulti mihi sunt legendi, sed nonnulli latitant in imis bibliothecis vel arcis librariis. Itaque breves 'litteras apertas', ut ita dicam, in *Epistula Leonina* publici iuris facere velim, ut lectores interrogem num aliquis mihi subsidio veniat in poematiis inventu difficilioribus reperiendis. Potestne hoc fieri? Textum *infra* scribo et tibi libenter veniam do, ut inscriptionem meam cursualem et electronicam indices.

Gratias tibi maximas in antecessum ago.

Cura, ut optime valeas.

d.13. m.Nov. h.18.27

Marcus Nicolao s.p.d.

Ob vitium computatrale heri supplementum Eggerianum tibi mittere non valui. Nunc id denuo epistulae subiungo. **Optime vale**

d.26. m.Nov. a.2023 h.00:21

NICOLAUS LEO LATINUS BRIXIANO SUO SAL.PL.DIC.

Nuper tibi misi multos nuntios interretiales de gehenna Gazensi deque aliis rebus scriptos; qui mihi lectu digni visi sunt; spero eosdem tibi non molestos fuisse. -

Christianus Laes Praeses Academiae Latinitati Fovendae noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit **zoomianae acroasi** faciendae. Nonne tibi placet coram Academia nostra per visificium (Bildschirm) nobiscum communicare scientiam tuam Plinianam aut aliam? Themata certe tu habes plurima tractanda. Ipse paratus sum ad *Epistolographiam* tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? - Quidam auctor Britannus, cui nomen est **Simon Garfield**, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("*To the Letter. A Journey through a Vanishing World*"). Idem Simon contendit propter epistoliarum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Equidem Simoni contradicam. Nam his 50 fere annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronica nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. - Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldiana? - Scribas mihi quam maturime, ut sciam, quomodo valeas. Utinam mox pergamus nos invicem ditificare litteris Latinis communicandis. - Vale pancratice, mi care Marce, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **NICOLAUS LEO LATINUS**

d.26. m.Nov. a.2023 h.10:03

Marcus Nicolao suo s.p.d.

Gratias tibi ago pro epistulis nuntiisque. Negotia academica pro dolor impediverunt, quominus singillatim tibi rescriberem, et timeo ne ipsa impediunt, quominus orationem Zoomianam coram optimis sodalibus dicam. Iam Christiano pollicitus sum me acroasim habiturum esse in conventiculo ALF annuo, quod diebus 31 mensis Maii atque 1 mensis Iunii Romae celebrabitur et cuius thema erit *Roma-Amor: de poetis Latinis recentissimis (post Pascolium)*. Mensibus proximis futuris, cum primum paululum otii mihi erit, oratiunculae conscribendae insudabo et alteram parare non valeo. - Cum te de interitu artis epistulas pangendi consentio, praesertim quod ad epistolia (electronica) Latina attinet. Ceterum hodie nuntii brevissimi iique inanes maxime in *Prosopobiblio*, X (olim a pipiationibus nuncupato) et *WhatsApp* scribuntur, epistulis (strictiore sensu) ad negotia maioris momenti agenda sive ad res graviores disserendas sepositis. Qua de causa tibi vehementer de incepto tuo gratulor. Orationem tuam libenter audiam, et suspenso animo fasciculum proximum futurum *Epistulae Leoninae* expecto. **Cura, ut optime valeas.**

d.02. m.Dec. a.2023 h.01:12

Nicolaus Marco s.

Libenter perscrutabor pluteos et repositoria mea, ut inveniam litteras neolatinas, quas desideras. Iamne de hac re collocutus es cum *Bernhardo Platzdasch*, creatore PANTOIAE? Qui certe est bibliographiae neolatinae valde peritus. Haec raptim, mox, si volueris, certe plura. Vale basilice, mi Latinissime. Medullitus **Nicolaus Leo Latinus.**

d.02. m.Dec. a.2023 h.16:26

Marcus Nicolao optimo s.p.d.

Gratias tibi maximas ago! Ante annum Bernhardo Platzdasch iam scripsi, sed nullam mentionem commentariorum *Pro Lingua Latina* inceptorum tunc feci. Recte mones, ut Bernhardo denuo scribam. **Optime vale!**

d.03. m.Dec. a.2023 h.00:35

Nicolaus Marco suo s.

Incredibile! Modo tibi scripsi epistolium, me verti ad pluteum - et inveni 4 tomos commentariorum, quos desideras! Editor est quidam magister scholaris Aquisgranensis (Aachen) Dr. Hermannus Krüssel. Hi tomi mihi prae manibus sunt qui sequuntur:

- 1). 7 OSTERN 2006 - 136 pp. (2 fasc.)
- 2). 11 FRÜHJAHR 2010 - 240 pp.
- 3). 13 FRÜHJAHR 2012 - 208 pp.
- 4). 14 FRÜHJAHR 2013 - 200 pp.

PRO LINGUA LATINA. Eupener Str.158 52066 Aachen. - Verein zur Förderung der Lateinischen Sprache in Schule und Öffentlichkeit.

Saltim hos fasciculos habeo. Visne eosdem totos? Paululum ponderosi sunt. An quaedam paginae tantum valent? Cupisne Indices argumentorum, ut eligas copiandas paginas? De ratione mittendi deliberandumst. Scribe mihi quid tibi videatur. Vale semper, **NIC.**

d.03. m.Dec. a.2023 h.10:54

Marcus Nicolao suo s.p.d.

Gratias tibi maximas ago pro nuntio! Gaudeo, quod nonnullos fasciculos commentariorum *Pro lingua Latina* invenisti. Indicem legi in interreti et, inscriptionibus symbolarum perpensis, carmina nonnulla repperi:

- PLL 7: Emil SCHAFFNER: Ein Chronodistichon für 2006
- PLL 7: Werner SIMON: Romfahrtgedicht (Estne carmen Latinum?)
- PLL 7: Hermann KRÜSSEL: Nos haec novimus esse nihil (Estne carmen Latinum?)
- PLL 7: Alesius: Eine Ode auf Miroslav Klose. Gerardus Alesius dichtet im Stile des Horaz.
- PLL 13: Anna Elisa RADKE: De Carolo Theodoro de Guttenberg.
- PLL 13: Ludovicus OERTEL: Centones Vergiliani
- PLL 13: Anna Elisa RADKE: Ad nationem Aegypticam
- PLL 13: Anna Elisa RADKE: De Lampedusa insula + Ad sanctum Nicolaum

Ceterum, nisi negotium tibi nimis est molestum, symbolas quoque has de Latinitate hodierna legere velim:

- PLL 7: H. Pomsel, Latein als NATO-Sprache.– [Anekdote aus Helmut MICHAELIS: Reservisten-Report XV.– mitgeteilt von Otto PLASSMANN]
- PLL 13: Hermann KRÜSSEL: Maneat nostros ea cura nepotes.

Potestne fieri, ut mihi imagines ope scansorii exscriptas (.pdf) vel photographemata paginarum selectarum (.jpeg, etiam sophophono facta) mittas? Si necesse est, impensas ad paginas has ope lucis exscribendas libenter solvam. Gratias denuo maximas tibi ago, sodalis humanissime. **Cura, ut optime valeas.**

JOANNES CAROLUS ARCHITECTUS MEDIOLANENSIS

Il 19/09/2023 15:02, spqr Leolatinus ha scritto:

Nicolaus Leo Latinus Joanni Carolo suo s. s.v.b.e.e.v.

Care Joannes Carole, accepistine Epistulam Leoninam 284, quam hesternam nocte tibi misi? Propter defectum avis tonitrualis (Mozilla Thunderbird) non certo scio, num epistolium meum recte transmissum sit. Semper vale, **Nicolaus Leo Latinus**

19.9.2023 17:58

J. Carolus Nicolao salutem.

Avem tonantem, quasi Jove missam ab alto, suo munere functam esse scito! Accepi enim litteras leoninas, lectitare coepi, delectatus sum. - Vidi Victorium Ciarrocchi de Ivano Dionigi, latinitati vivae infensissimo, fuse rettulisse. Equidem in eundem Vindobonae anno MMXIII acriuscule mordaciterque sum invectus, dum conventus ALF celebratur. In Voce Latina oratio mea, qua orationem Antonii Caesarem laudantis sum imitatus, fere ad verbum Vilhelmi Hastiquati versus reddens, est edita.

Si forte tibi placuerit, exemplar inde describere licebit, alioquin ad te oratiunculam mittam, ut iterum vulgetur: quod quidem Sigridi nostrae, ut puto, non erit molestum. Plura tibi de Epistula 284 deinceps. **Vale!**

19.9.2023 18:19

Nicolaus Joanni Carolo suo s.

Gratias plurimas, quod prompte respondisti. Oratio tua certe dignissima est, quae iterum edatur. Itaque te rogo, ut mihi mittas. Cum legerem ea quae Victorius scripsit de deliramentis istius Ivani (dignus esse videtur, qui accipiat nomen tyranni Russi infamissimi: est alter Ivanus Terribilis), in memoriam mihi revocati sunt nonnulli philologi Germani, qui similes sunt Latinitatis libitinarii. Facinus indignissimum mihi videtur, quod commentarii Latinitatis Vaticani orbi sunt ipsa Latinitate. Incredibile! Quibus mandatum erat, ut linguam Latinam colerent, facti sunt eiusdem vespillones. Vale quam optime, mi care sodalis, et mitte mihi orationem tuam. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus.**

10.m.Nov.a.2023 17:04

Joannes Carolus Nicolao s.

Velim mihi ignoscas, Nicolae mi, si tantam feci scribendi intercapedinem neque steti promisso. En statim oratiunculam invectivam habeto, qua saepenumero - fateor enim - glorior, quia nemo contra illud numen Latinitatis, nisi unus Ciarrocchi meus- dicere est ausus. Jucundum etiam fuit mihi Hastiquatum ipsissimum adiutorem ac magistrum arcessere. Sed veniamus ad cetera, quae posuisti.

Magni uti soles ponderis materiam disputandam praebuisti. Sed, ut nunc est, brevi ac praecise quaerenti tibi respondebo. Quum enim in tam igenti nuntiorum congerie et cumulo, quibus in dies obruimur, ementita a veris discernere vix valeamus, fidem habeo solum testibus, quorum mihi sit nota veracitas. - Diurnarios fere omnes jam comperisti conductos pretio esse a potentioribus, quorum commodis adulando ac mentiando favent, sed pauci illi, qui sua ipsorum sententias aperiunt, nulla dominorum ratione habita, plerumque compescuntur aut probris conviciisque publico agitantur. - Experti hoc jam sumus quum de bello Ucrainico ageretur: causa belli exquirere vis? Es Putinianus! Mendacia quaquaversus ab Arctoamericanis propalata spernis? Putinianus es! Russophonos esse in Ucraina diu vexatos ais? Es Putinianus! Putinium ferum tyrannum esse affirmas, sed Zelenskium falsam democratiae speciem praesefere contendis? Item es Putinianus. - De rebus autem in Palaestina gestis, fere idem est, sed opiniones non sunt unanimes et in diversa distrahuntur, neque iudicio spatium conceditur ullum. - Non amplius in hoc immorabor sed tria tantum dicam: primum Netaniaum esse populi sui hostem. Secundum, si integrum esset, Arabes omnes, cujuscumque sunt nationis, rem publicam Israeliam radicibus excisuros fuisse. Tertium, apud Israelianos, quamvis undique obsessos, servari democratiam, populos autem islamicos regna esse immiti religioni obnoxia, jus aput illos, arbitrium apud hos vigere. - **Esto in praesentiarum his paucis contentus tuamque valetudinem cura diligenter! Vale!**

d.20. m.Nov. a.2023 h.16:29

**NICOLAUS LEO LATINUS JOANNI CAROLO MEDIOLANENSI
ARCHITECTO LATINISSIMO SAL.PL.**

Quid fit, quid agitur? Ante nonnullos dies tibi complura epistolia misi nuntiis actorum diurnorum completa, quae statim repulsa sunt - scisne, quare? Displicueruntne tibi argumenta? Scribas mihi. **Vale semper pancratice, medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.20. m.Nov. a.2023 h.17:04

Joannes Carolus Nicolao s.

Nempe non ego reppuli epistolia tua, sed nescioquod automaton cui orthopolitiae provincia mandata est, ut puto. Equidem excerpta quaedam anglice conscripta abs te acceperam, quibus argumenta controversa tractabantur de re judaica. Ceterum ut brevi rem praecidam, faveo Rei Publicae Israleliticae, cujus atrocissimum periculosissimumque hostem puto esse Netaniaum. Quem compertum est fovisse gulisecis Islamistis, ut Palaestinorum factionem moderatam compesceret, ac sibi occasionem e bellis bella serendi arriperet. Hoc autem in lucem nuper prodiit ex arcis secretis Arctoamericanorum. **Vale, Joannes Carolus.**

d.20. m.Nov. a.2023 h.17:04

Joannes Carolus Nicolao s.

Nempe non ego reppuli epistolia tua, sed nescioquod automaton cui orthopolitiae provincia mandata est, ut puto. Equidem excerpta quaedam anglice conscripta abs te acceperam, quibus argumenta controversa tractabantur de re judaica. Ceterum ut brevi rem praecidam, faveo Rei Publicae Israleliticae, cujus atrocissimum periculosissimumque hostem puto esse Netaniaum. Quem compertum est fovisse gulisecis Islamistis, ut Palaestinorum factionem moderatam compesceret, ac sibi occasionem e bellis bella serendi arriperet. Hoc autem in lucem nuper prodiit ex arcis secretis Arctoamericanorum. **Vale, Joannes Carolus.**

d.20. m.Nov. a.2023 h.17:18

Nicolaus Joanni Carolo suo s.

Gratias pro responso prompto. Profecto Beniaminus est vulpio vaferrimus et furcifer omnis scrupuli expers. Qui in animo habet exstirpare non solum Hamasianos, sed totam gentem Palaestinam. Hoc Beniaminus iam saepius dixit sat dilucide, e.g. allusit ad biblicam relationem de AMALECITIS scriptam, magnique aestimat DOCTRINAM FERRIMERDAE (Eizenkot) et DIRECTIVAM HANNIBALIS. Novistine easdem? Vale semper, et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

20.11.2023 17:48

Joannes Carolus Nicolao s.

Nihil, Nicolae mi, de ista doctrina ferrimerdacea vel hannibalica umquam accepi. Fac aliquid adumbres. Quod ad Benaminium attinet, non multo vafritie et avaritia a Perlusco nostrate, egolatria a Trumpio, atrocitate ab Islamistis differe mihi videtur. Quicquid enim maxime est ab humanitate alienum in eo coalescere videtur. **Vale, J.C.**

VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

d.19. m.Sept. a.2023 h.15:10

Nicolaus Leo Latinus Victorio suo optimo s. s.v.b.e.e.v.

Care Victori, accepistine Epistulam Leoninam 284, quam hesterna nocte tibi misi? Propter defectum avis tonitrualis (Mozilla Thunderbird) non certo scio, num epistolium meum recte transmissum sit. Semper vale, **Nicolaus Leo Latinus**

19.9.2023 19:12

Victorius Nicolao suo s. q. p. d.

Epistula Leonina numero 284 signata atque, quoad e symbolarum titulis cursim lectis coniecerim, mirum in modum locupletata, ad computatrum meum feliciter pervenit. Crastino die omnia attente legere incipiam. Nunc gratias, mi Nicolae, ingentes tibi ago, quod symbolam meam edendam curasti. Quae 'de Romanorum virtutibus' scripsisti, ea quam primum avide legam, quia de argumento agitur, quod semper magni est faciendum. **Optime valeas.**

d.24.09.2023 h.19.02

VICTORIUS NICOLAO S.

Inter argumenta, optime Nicolae, quae in Epistula Leonina numero 284 signata continentur quaeque memoratu digna putaverim, valde illa me allexerunt, quibus titulos praemisisti hosce: 'De imperio Romano' et 'De Romanorum virtutibus'. Omnia clare et penitus explanasti ac peropportune varios locos e Graecis scriptoribus depromptos rettulisti. Sed quoniam hac aetate nostra plerique homines vel rerum gestarum peritiores et linguae Latinae peritissimi, tamen opinionibus praeiudicatis saepe obnoxii, in imperium Romanum invehere et continenter de Romanorum vitiis, numquam de virtutibus, mentionem facere solent, quid de ista iudicandi ratione ego sentiam, aperte proferam. Ab Horatio incipio admonente: «vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est/ qui minimis urgetur» (Satirarum L. I, 3, vv. 68-69). Quae prudentissima verba ab ipsa rerum natura originem ducunt. Quare Horatii sententia non modo ad omnes homines pertinet, verum etiam ad omnes Civitates maximeque ad omnia Imperia, quae ubicumque fuerunt et semper erunt sicut etiam nunc sunt, placeat hoc aut displiceat. Ex quo sequitur ut etiam imperia vitiis laborent, sed non omnia eodem modo, propterea quod imperia quaedam graviore vitiorum labe inficiantur quam alia imperia. Exemplo clarior esse spero: fortasse non omnes res Traiano imperatore optimae fuerunt; sed Traiani imperium non tam 'vitorum' plenum

fuisse credo quam Tamerlani. Ergo sub Traiani imperio equidem vixisse praetulerim quam sub Tamerlani. De imperiis nunc exstantibus nihil dicam. (Sed obiter: quod legerim, Seres sive Sinenses iam in suam ipsorum dominationem nonnullas Africae Civitates redegerunt atque pondus illius Serici imperii- quia de imperio agitur, non de Civitate plus minusve ‘democratica’!- in dies augetur). Denique conclusionem tuam (p. 68 Epistulae Leoninae supra memoratae), i. e. «(imperium Romanum) quod... usque ad aetatem modernam mansit incomparabile» adeo probo laudoque, ut cum tota hac re ad Romanum imperium et ad Romanorum cultum civilem spectante plane pleneque congruere iudicium adfirmem hoc: «Fecisti patriam diversis gentibus unam; [...] Urbem fecisti, quod prius orbis erat» (C. Rutilii Namatiani ‘De reditu’, vv. 63 e 66). **Optime valeas. VICTORIUS.**

VICTORIUS NICOLAO S.

Omnia fausta, prospera, serena ex animo tibi exopto, mi Nicolae.

VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS.

NICOLAUS VICTORIO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC.

GRATIAS INGENTES, MI VICTORI CARISSIME! TIBI QUOQUE IN NATALE DOMINI ATQUE IN ANNUM INEUNTEM INTIMO EX CORDE EXOPTO OPTIMA QUAEQUE ! - HAEC BREVISSIME, MOX CERTE PLURA.

BASILICE VALE, MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS.

MAXIMILIANUS PULCHER AUGUSTANUS

d.19. m.Sept. a.2023 h.22:05

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Venustam expositionem virtutum Romanarum nobis praebes, in qua paene nihil desideratur. Maximas gratias tibi ago, Nicolae. **Vale!**

d.01. m.Oct. a.2023 h.16:34

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Die Veneris, qui praeteriit (29.09.2023), in actis diurnis Augustanis (Augsburger Allgemeine, Lokalteil Seite 33) Michael Eichhammer diurnarius de periegesibus Latinis Augustanis rettulit. Sunt, qui narrant nunc etiam in quadris visificis traminum transviariorum atque coenautocinetorum Augustanorum photographema mei monstrari! Quam rem ad laudem ac utilitatem linguae Latinae nonnullam habere opportunitatem spero. Nonne „*cum finis est licitus, etiam media sunt licita*“? (Wilfried Stroh, Latein ist tot, es lebe Latein, Berlin 2008 S. 209). Scilicet gaudeo.

Proxima talis ambulatio Latina autem primo die Solis mensis Mai MMXXIV (05.05.2024) hora prima post meridiem (13.00) ante curiam Augustanam (Rathaus Augsburg) incipiet – si Deus dederit et voluerit. Tu pro te ipso bene vigila!

Vale! P. S. Servanda scilicet sunt proprietatis iura auctoris Michael Eichhammer.

d.1.m.Oct. a.2023 h.21:28

Nicolaus Maximiliano sal.pl.

Summas gratias, monstratio tua iucunde descripta est a Michaele Quercumalleo (sive Dryozygaena). Tibi gratulor atque congaudeo! Ceterum nesciveram te velle lexicon scribere. Quot verba iam collegisti? Ab Horatio Antonio Bologna Vaticano poeta laureato heri accepi duos fasciculos, quibus manu inscripta sunt verba ab eo novata. Qui mihi scripsit se voluisse cum aliis lexicon conficere, sed propter illorum loquacitatem pigerrimam ab incepto destitisse. Videmus lexicographia egere perseverantia atque industria. Haec raptim, mox certe plura.

Medullitus Nicolaus Leo Latinus.

d.3. m.Oct. a.2023 h.21:18

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Quam facete et urbane nomen illius Michaelis Eichhammer latinizavisti! Is de ambulationibus Augustanis tanta cura ac diligentia rettulit, quanta dignae sunt, sed tamen in caelum eas non tulit. Nonne vides nihil in symbola actorum diurnorum inesse, quod ex ea verbatim desumere et in loco interretiali meo ponere possim? Nullam laudem? At fortasse nimium erga eum ingratus sum. Diurnarius est, non laudator.

Multas gratias tibi, Nicolae, ago, quod lexicon meum tibi cordi est. Lexicon Germanico-Latinum adhuc in primis initiis est. Hoc tempore in „a“ littera haereo. Itaque omnis loquacitas praematura et multo, multo ante tempus est. Ad ea vocabula studium ac impetum meum revocavi et restrinxi, quae in lexicone Georgesiano non continentur. Et tamen res erit magni laboris multorum annorum, quin etiam decenniorum – modo vita supersit. Recte dixisti opus esse perseverantia atque industria. Et recte monuisti societatem talis operis officiaque scribendi partita omnino esse inania et male casura. Ut Horatio Antonio Bologna accidisse indicavisti, ut socii eius studium celeriter omitterent et non iam in commune consulerent. Collectio vocabulorum et iuncturarum, quam possideo, plus quam 3000 paginarum habet. Ex quibus 170 ad editionem aliquando futuram praeparavi. Quantula pars! Itaque oro atque obsecro, ne hanc epistulam in Leone Latino evulges!

Ecce ultimum lemma, quod confeci (ut aliquod exemplum teneas):

Auflagefläche +*superficies*, quae alqd sustine(a)t cf. CIC. Att. 4,1,7 u. 4,2,5 u. de orat. 3,180 +*superficies ad alqd sustinendum apta* cf. CIC. Att. 4,1,7 u. 4,2,5 u. de orat. 3,180 Lexicon tuum, Nicolae, quando emittes? Licebitne mihi in meo ad tuum me referre? Haec erit magna quaestio, quae nunc iam occurrit cogitationi. Nam minime saevam rixam atque simultatem esse futuram, sed consilia inter amicos coniuncta desidero. Fortasse plura aliquando coram? Fortasse Sendae aut (libentissime) Augustae Vindelicum? Ex corde. **Vale semper et multum!**

d.04. m.Oct. a.2023 h.19.00

Nicolaus Maximiliano suo s.

Quercumalleus haud male scripsit de monstrazione tua Augustana. Nonne vis ea quae scripsit Latine reddere, ut publicem in Epistula Leonina? Ceterum mihi displicet, quod times epistularum publicationem. Nihil inest periculosi! Mihi semper placet

Epistolographia Latina; dolendum est, si talia cimelia cultus civilis praestantissima et rarissima pulvere oblecta iacent in forulis reciprocis aut in archivis electronicis inedita...Oportet exemplis epistularum praebendis alios amicos Latinitatis Vivae delectemus et adhortemur, ut ipsi tales epistulas scribant! Si quae stribiligines irrepunt - non nocent! Quae proximam occasiunculam nacti corrigimus, ut nos omnes discamus et exerceamus. Dies diem docet. --- De lexicographia complura dicenda sunt; haec ars a plerisque Latinitatis vivae defensoribus, sed etiam a multis palaeophilologis parum recte aestimatur... Non pauci sunt, qui parum perite parumque systematice, nimis temerarie verba colligant aut confingant. Neque sciunt fontes sat multos neque recte indicant fontes suos (sunt plagiatores, qui in turbido piscantes rapiant neologismos aliorum!) Hoc neque est consentaneum neque prodest nobis Latinitatem foventibus. Tales enim, lexicographastri - sit venia verbo! - putant lexicon nihil esse nisi acervum vocabulorum hic illic collectorum --- et in hac re vehementer errant! Sed de lexicis proxima occasione data tibi scribam,--- Vale semper pancratice, haec raptim, mox plura.

Medullitus Nicolaus Leo Latinus

d.07. m.Oct.a.2023 h.20:46

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Gratias tibi ago, quod epistulam longiorem ad me dedisti. Utinam ne me in lexicographastrorum habeas numero! Nam verba tua certe non ad meam trahenda iniuriam sunt. In me nihil est, quod defensione egeat. - Eam symbolam nuper in actis diurnis Augustanis divulgatam in Leone Latino cultoribus et studiosis linguae Latinae impertire nequaquam possumus. Nam diurnarii actorum diurnorum ius ac dominium proprietatis eius symbolae possident. Doleo. - Quod tibi et uxori tuae aestate accidisse indicavisti, mihi et uxori meae nuper accidit. Fistula rupta esse videtur et lacunar culinae aquis guttatim destillantibus corrupta est. O sacrum damnum! **Bene vale, amice, et cura diligenti salutem tuam custodi!**

d.07. m.Oct.a.2023 h.22:21

Nicolaus Maximiliano s.

Putasne revera editores Ephemeridis Augustanae putare iura sua violari versione Latina? Ridiculum! Quoties tales relationes in alias linguas vertuntur ab aliis diurnariis. Roga Quercumalleum, quid sibi videatur. Oportet eum gaudio superbire relatiunculam suam toga classica indutum iri! **Vale semper pancratice, NIC.**

d.26. m.Nov. a.2023 h.01:09:24

NICOLAUS LEO LATINUS MAXIMILIANO PULCHRO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC.

Quid fit, quid agitur, care Maximiliane? Iam diutius nihil legi a te scriptum. Cum essem oceano vocabulorum immersus, diutius non edita est Epistula Leonina. Sed bene spero EL 285 mox divulgatum iri. - Christianus Laes Belga Praeses Academiae

Latinitati Fovendae noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit zoomianae acroasi faciendae. - Nonne tibi placet coram Academia nostra per visificium (Bildschirm, ZOOM) nobiscum communicare scientiam tuam (proponas, quaeso, themata tibi grata: si vis, loquere de urbis Augustanae tuae monstracionibus)? Perplacent mihi scripta tua, quibus soles patefacere scientiam multam, magnumque mentis acumen. Libentissime te oratorem praesidi commendabo. Pro certo habeo Latinitatem tuam honori fore Academiae. - Ipse paratus sum ad Epistolographiam tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? Quidam auctor Britannus, cui nomen est Simon Garfield, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("To the Letter. A Journey through a Vanishing World"). Idem Simon contendit propter epistoliorum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Equidem Simoni contradicam. Nam his 50 fere annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronica nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. - Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldiana? - Scribas mihi quam maturime, ut sciam, num paratus sis. Dies nondum certus est; indica mensem (Ian.- Febr. - Mart.). Si paratus eris, te Praesidi commendabo. - Vale pancratice, mi care Maximiliane, et perge mihi favere.

Medullitus te salutat NICOLAUS LEO LATINUS

d.26. m.Nov. a.2023 h.17:34

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Tibi maximum opus proponis, Nicolae, de tota epistolographia omnium aetatum tractaturus. Sed certo continget tibi, ut summatim perstringas et breviter comprehendas. Equidem accedere velim sententiae Simonis Garfield, de qua retulisti, et ei prorsus assentiri: Nos posteros neque ad copiam neque ad altitudinem priorum in epistulis scribendis attingere. Tam sumus pusilli! Et aditu interretiali patefacto ars epistolandi letali plaga percussa esse videtur. Tu reclamationis: „Immo ex diverso!“ Tu certe, Nicolae, exemplis probabis et docebis nos. - De altera re, de qua scripsisti, paucos dies mihi ad deliberandum peto. Si re vera interretialem acroasim Academiae Latinitati Fovendae dabo, id mihi honori summo erit. Fortasse de arte narrativa Latina et de fictis narrationibus, quas lingua Latina excogitavi, aliquid ad te et ad sodales tuos referre potero. Sed parvam valetudinem mihi contraxi (herniam inguinalem), quae scalpellum medici desiderat. Operatione peracta mox pluribus verbis tibi respondebo. - Opto tibi, ut valeas et vigeas et in propositis tuis Latinis maximos progressus facias ducentesimam octogesimam quintam Epistolam Leoninam exspectans.

d.26. m.Nov. a.2023 h.21:37

Nicolaus Maximiliano s.

Gratias plurimas, care Maximiliane, pro responso tuo. Quod attinet ad epistolographiam omnium aetatum, nequaquam tam audax sum, ut ipse ingens hoc thema nunc accedam tractandum, sed nihil velim dicere nisi epistolographiam

materiam complecti tam amplam, ut sufficiat omnibus philologis hac in serie acroasium locuturis. Satis mihi erit in acroasi de thesi illa Garfieldiana aliquatenus in utramque partem disputare. Sed alterum thema etiam proposui, quod mihi lexicon componenti iam pridem cordi est: confictio sive novatio verborum. Videat Praeses, utrum thema melius quadret. Gaudeo, quod non negasti te paratum esse ad acroasin faciendam et exspecto suspenso animo, quid decreturus sis.

Sectio tui chirurgica utinam succedat quam optime! Quid interim de sorore tua factum est? Eandem salvere iubeo intimo ex corde. Deus nobis det audaciam et fortitudinem, qua malis sanabilibus resistamus, patientiam, qua patiamur insanabilia, et prudentiam, qua unum genus malorum ab altero distinguamus. Et tu et soror tua, care Maximiliane, valeatis basilice et pancratice, et pergite mihi favere. **Medullitus vos salutat Nicolaus.**

d.01. m.Dec. a.2023 h.19:26

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Propositum tuum, quod nuper proposuisti, agitavi animo: Velim ad sodales Academiae Latinitati Fovendae aggregatos symbolam conferre per quadrum visificum de hoc argumento: „De narrationibus lingua Latina fictis“. Si vobis placet, mense Februario. Commenda me, quaeso, testimonio tuo Christiano Laes, humanissimo praesidi. Pergratum mihi facies. Et maximas gratias tibi ago pro tua humanitate. Ea res mihi, si quidem ille assentietur, summo honori erit.

Interrogas: Cur ex tanta rerum varietate illud argumentum potius? Quia illud argumentum hoc hiberno tempore anni maxime occupat cogitationes meas. Id ago, ut novam narratiunculam Latinam emittam et ut veteres narratiunculas meas in Germanicam linguam convertam. Sunt numero fere sedecim. De scribendi igitur ratione et arte et de historia litteraria narrationum Latinarum paucissima et minima proferre poterō. De talibus narrationibus loquor, quae Latine formatae sunt, non de talibus, quae in Latinum translatae sunt. Nam in ea provincia saepius versari soleo.

Margarita, soror mihi carissima, melius se habet. Sed in longissimum morbum est implicata. Incertum est, an et quando morbo liberetur. De hac re sollicitus atque anxius sum. Soror mea tibi salutem me iussit dicere. Vitae rectitudinem, quae in te sit, admiratur. - Ego post operationem chirurgicam paulatim convalesco. Utinam tanta nivium copia, quanta nunc in Suebia nostra cadit, non opperiaris! :-) **Vale multum!**

d.02. m.Dec. a.2023 h.01:31

Nicolaus Maximiliano Pulchro suo sal.pl.

Gratias, mi care Sodalis, pro epistula prolixa. Christianus Laes, Praeses Academiae, a me accepit te (et nonnullos alios) paratos esse ad acroasin faciendam. In praesenti quia valde occupatus est variis laboribus academicis, non vacat acroasibus attribuendis. Exspectemus patienter. Thema quod proponis, mihi plurimum placet. Rogo te, etiamsi huius seriei acroasium non particeps fieri poteris, hoc thema tamen tractare, ut symbolam tui divulgem in Epistula Leonina. - Valde gaudeo, quod dicis te operatione feliciter facta reconvallescere sororemque tuam melius se habere. Gratias ei ago plurimas, quod me salvere iussit verbis tam benevolis. Oremus pro ea ut

reconvalescat. - De plumis nivalibus cadentibus semper gaudeo, et amo plagas nive obtectas; quas amat et uxor mea, nisi - quod his diebus saepe fit - autoraeda debet vehi, ut organo moduletur. - Haec hactenus, care Maximiliane, mox, si volueris, libenter plura scribam. Et tu et tua soror valeatis quam optime. **Medullitus vos salutat Nicolaus Leo Latinus.**

RADULFUS LAVALLE BONAEROPOLITANUS

d.19. m. Sept. a.2023 h.13:47

Nicolaus Leo Latinus Radulfo suo s.

Care Radulfe, accepistine heri novissimam meam Epistulam Leoninam (284)? Insunt etiam nonnullae epistulae tuae et duae symbolae magnae historicae: "De interitu Imperii Romani" et "De Romanorum virtutibus". Animo suspenso exspecto, quid tu sensurus sis de iisdem. Quia "avis tonitrualis", i.e. programma epistulas electronicas mittendi meum aegrotat, utor alio systemate ("Webmail"), incertus, num bene operetur. Itaque quaero ex te, num bene acceperis Epistulam novissimam. Vale semper pancratice, mi care Radulfe, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

19.9.2023 h.23:45

Radulfus Leoni s.

Care Leo, hunc nuntium hodiernum tuum recepi sed non EL 284. Cum poteris, precor, ad me eam mitte. Quomodo dicitur anglice AVIS TONITRUALIS? **Vale, Radulfus**

d.20. m.Sept. a.2023 h.06:16

Nicolaus Radulfo s.

En habes Epistulam Leoninam novissimam (EL 284). Utinam nunc missio bene succedat! "Avis tonitrualis" est "Mozilla Thunderbird", i.e. programma nuntios electronicos mittendi. Novistine? Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**

20.9.2023 22:28

Radulfus Leoni s.

Iam recepi, amice mi,
tuam Epistulam Latinam:
plura ex uno mihi misisti,
si non irascatur Samuel
in suo "e pluribus unum." - **Vale, Radulfus**

d.28.09.2023 h.00.06

Radulfus Leoni Latino s.

Care Leo Latine, gratias denuo ob epistulam a te missam. Per partes minutias scribam. Magni momento est quod de bello Ucrainio scribis. Ego, in tantum Argentiniensis remotusque orbe illustrato, pondus quaestionis non bene capio... etsi

timor bellicae καταστροφῆς non est mihi omnino alienus. - Carmen Mauri Pisini, ut mos, valde mihi placet. - De opinione docti historici Demandt, mea humili sententia quod dicit (“Dominae Merkel non licet agere in salutem gubernationum alienarum, populi Germaniae sumptibus. Eadem iure iurando obligata est ad rem contrariam”) plaudo... etsi humilitas in Dominae Merkel in privata vita laudabilis est (utinam praesides Latinoamnesicani severiores in sumptibus sint!). Postea sequar. **Vale, Radulfus**

d.28.09.2023 h.00.40

Radulfus Leoni Latino s.

Care Leo Latine, tua acroasis de virtutibus perquam erudita est: paulatim legam. Curiositas nihil recusat: vocem *Cingari* ignorabam. Sunt Cingari in Germani? In mea patria Argentina opulenti sunt; non autem est mihi cum eis relatio. **Vale, Radulfus**

d.20. m.Nov. a.2023 h.11:57

LEO LATINUS RADULFO SUO OPTIMO SAL.PL. S.V.B.E.V.

VICIT CANDIDATUS TUUS, CARE RADULFE. QUID NUNC? GAUDESNE? QUOMODO TE HABES? -

UTINAM HAEC VICTORIA ANARCHO-CAPITALISTAE TIBI EVADAT FELICISSIME. VIVAT RADULFUS, ARGENTINA!

VALE SEMPER PANCRATICE. MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS. -

ARGENTINA: ICTUS TYMPANAE! ANARCHOCAPITALISTA NOVUS EST PRAESES ARGENTINAE. XAVIERUS MILEI EXPROMIT SERRAM CATENATAM

ARGENTINIEN: Paukenschlag! "Anarcho Kapitalist" neuer Präsident! Javier Milei holt Kettensäge raus
<https://www.youtube.com/watch?v=hLLWjgS2fn8>

d.21. m.Nov. a.2023 h.00:23

Radulfus Leoni Latino s.

Care Leo Latine, Certe victoria Xaverii Milei gaudeo. Certus quoque sum non argentinis plurima pati debere, ut deam Paupertatem a nobis arceamus. In nobis erit. Ut Herculi accidit, ante nos littera Y est: viam laboris et virtutis utinam eligamus.

Ut mos est mihi, quaedam vocabula neolatina tibi praesento: non ut legem aliis imponam, sed solummodo ob communicationis voluptatem, ut ita dicam in mea vulgari eloquentia. - Xaverius (video te Xavierum malle) dicit se anarchocapitalistam esse, etsi in mundo reali minarchistam se esse profitetur. - De aliis rebus mea uxor atque egomet partem Germaniae visitabimus. Die 22^a mensis Ianuarii München attingemus. Est nobis in proposito Nüremberg, Trier (Augustam Trevirorum), Frankfurt aliasque civitates noscere. Ut vides, dominum Graese (si non male scripsi) non visitavi. - Non bonus cervisiae bibitor sum, ut est Martin Freundorfer Austriacus, neque vini, ut erat Archipoeta... sed forsitan quidam Germani hunc quartimundistam atque meam pulchram uxorem non male recipiant. - Ut vides, paululum meae delirationis mutavi. Tua epistula gaudeo, amice Nicolae. Valeas tu omnisque Latinitas omnisque Germania (ut scis, praesertim Ursula von der Leyen, quam amo ultra eius políticas ideas, quas non nosco). -

Amat te infimus poeta**Radulfus**

Utinam Germaniam nobilem
visitare, amice, possim:
debitum solvam quodammodo
quod uxori et mihi debeo.

MAURUS PISINI

d.19. m.Sept. a.2023 h.23.40

Nicolaus Leo Latinus Mauro suo poetae laureato s. s.v.b.e.e.v.

Care Maure, accepistine Epistulam Leoninam 284, quam hesternam nocte tibi misi? Inest prima pars magni carminis, c.t. "Caelitus", cuius causa praemio honoratus est. Sophos! Gratulor! --- Ceterum valde vehementerque doleo quod commentarii "Latinitatis" Vaticani ab Ivano Terribili isto tyranno philologastro iam pridem Latinitate orbi sunt! Quid tibi videtur? Propter defectum avis tonitrualis (Mozilla Thunderbird) non certo scio, num epistolium meum recte transmissum sit. Rectene accepisti Epistulam Leoninam 284? Semper vale, **Nicolaus Leo Latinus**

20.9.2023 02:21

Maurus Nicolao s.

Accepi EL novissimam et gratias ago tibi tuaeque sollertiae. Gratus quoque ob denuo editum carmen. In libellis quis 'Latinitas' nomen, apud quos adolevi et adultam poetae aetatem inchoavi, Caroli Egger Abbatis discipulus cum fuissem, scopus dicendi eo modo est immutatus quo numquam ipsum in aliud omnino diversum converterim. At in Aedibus Vaticanis aliter est visum. Ideo, vetus commentariorum indoles periit. Nihilominus, spatia quaedam restant, linguae vivae destinata, quae, ut possum, meis versibus occupo. Haec impraesentiarum, cum multa sit nox, cetera autem cras.

Ex animo valeas.

IOHANNES PETRUS KNIJFF BATAVUS

20.9.2023 12:13

Nicolaus Leo Latinus Iohanni Petro Batavo Maupassantii interpreti Latinissimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care sodalis? Utinam ferias aestivas degeris iucunde atque recreabiliter! Accepistine nudius tertius Epistulam Leoninam 284? Quia Avis mea Tonitrualis (*Mozilla Thunderbird*) graviter aegrotat, haud certo scio, num Leonina mea recte ad te allata sit. Itaque rogo te, ut mihi nunties, num bene acceperis Epistulam Leoninam 284. Insunt duae symbolae historicae, quae spectant ad Romanos: "De interitu Imperii Romani" et "De Romanorum virtutibus". Animo suspenso exspecto, quid tu sensurus sis de argumentis harum symbolarum. Scribe mihi, care amice, quidquid tibi in buccam venerit. Adversus tempestatem aetatis

nostrae incommodam vivas tranquille et pergas mundum ditificare Latine loquendo et scribendo. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

20.9.2023 13:57

Iohannes Leoni s.

Accepi sane, perbrevisime tantum inspexi. Symbolum autem tuum doctum hercle et laboriosum non possum quin maximopere admirer. De saeculo tandem nostro quis est quin horreat? Quid autem aliud facere possumus nisi litteris docendis conari conservare societatis nostrae quantunculum restat? Ut non nescis equidem docendo laetor, multum nunc Anglicam, nonnihil Latinam, denique - - Minerva certe duce - - Graecam linguam. Nonne tibi notus est editio Italica illius libri cui index Athenaze? O librum pulcherrimum, quo discipulis licet tam iucunde ad Parnassum accedere! **Vale! Johannes**

d.20. m.Sept. a.2023 h.15:29

Nicolaus Iohanni Petro suo optimo s.

Gratias plurimas, care sodalis, pro responso prompto. Mihi quoque "Athenaze" valde placet, saepe usus sum in institutione graecae linguae. Quare uteris italica editione huius operis didactici? Habesne discipulos Italos? Estne versio Italica? An textus originalis Anglicus in Italia editus? --- Gaudeo quod patienter pateris aetatis difficultates; vitam agere videris quamvis parum lautam, tamen studiis haud indignis deditam. Bono animo simus et diem carpamus, quando et ubicumque hoc fieri potest. Vale philosophice, mi care Iohannes Petre, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

20.9.2023 16:07

Johannes Leoni s.

Illa editio Italica valde aucta est, mi Leo, nam Aloysius ille Mirabilis multas fabellas haud iniucundas libro primitivo Anglice scilicet conscripto addidit. Praeterea multa (verum non omnia) in illa editione ipsa lingua Graeca explanantur, modo libri cui index Familia Romana. Valeas quam optime! **Johannes**.

d. 20. m.Sept. a.2023 h.8:02

Nicolaus Iohanni Petro s.

Babae, miror! Equidem semper usus sum editione Anglica. Aloisius videtur librum adaptavisse ad methodum Örbergianam. Nonne? Gratias plurimas pro hoc nuntio. Proxima occasione nactus etiam hanc editionem emam. Sed pro certo habeo in plerisque cursibus institutoriis propter penuriam temporis fieri non posse, ut duo isti tomi uberrimi integri pertractentur. Quid sentis? Vale semper et perge me certiore facere de rebus Graecis et Latinis et aliis memoratu dignissimis. Medullitus te salutat **Leo Latinus**.

20.9.2023 21:49

Johannes Leoni s.

Rem acu tetigisti, mi Leo, quanquam multa verba in editione Italica explanantur Italice, ergo liber non prorsus est tanquam «Lingua Graeca per se illustrata.» - Certe non facile est etiam versionem primitivam vel duobus annis in scholis vel duobus semestriis in collegiis vel in universitatibus cum discipulis perlegere – tamen quis est qui unquam alteram partem methodi c.t. *Lingua Latina per se illustrata*, scilicet *Romam Aeternam*, cum discipulis perlegerit? Mea autem sententia praestat lentius progredi dummodo discipuli gaudent. (Concedo sane hoc in scholis publicis raro fieri posse.) Ceterum ista editio Italica [apud amazon.it](http://apud.amazon.it) facile emitur. **Valeto! Johannes**

d.26. m.Nov. a.2023 h.1:01

NICOLAUS LEO LATINUS JOANNI PETRO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC.

Christianus Laes Belga Praeses Academiae Latinitati Fovendae noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit zoomianae acroasi faciendae. Nonne tibi placet coram Academia nostra per visificium (Bildschirm, ZOOM) nobiscum communicare *scientiam tuam (proponas, quaeso, themata tibi grata)*? Perplacent mihi tuae epistulae versionesque, quibus soles patefacere scientiam multam, magnumque mentis acumen.

Libentissime te oratorem praesidi commendabo. Pro certo habeo Latinitatem tuam honori fore Academiae. Ipse paratus sum ad *Epistolographiam* tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? Quidam auctor Britannus, cui nomen est *Simon Garfield*, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("*To the Letter. A Journey through a Vanishing World*"). Idem Simon contendit propter epistoliorum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Equidem Simoni contradicam. Nam his 50 fere annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronica nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via.

Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldiana? - Scribas mihi quam maturrime, ut sciam, num paratus sis. Dies nondum certus est; indica mensem (Ian.- Febr. - Mart.). Si paratus eris, te Praesidi commendabo. - Vale pancratice, mi care Joannes Petre, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **NICOLAUS LEO LATINUS**

d. 26.11.a.2023 h.07:20

Joannes Petrus Leoni s.

Salvus sis iterum, Leo carissime! - Pro litteris tuis hodiernis plurimas tibi gratias. De epistulis scribendis et ego haud raro cogito atque tibi imo ex corde assentior. Nam ipse in litteris electronicis scribendis multum de lingua, de vocibus elegendis, de forma pro viribus perfecta et curo et cogito. Non meum est de mea ipsius arte iudicare, attamen saepe gaudeo in scribendo limandoque atque certe haud nescio scribendo, ut aiunt, scribere me vel didicisse vel discere vel fortasse, Minerva annuente, olim disciturum. - Quod ad propositum attinet tuum, gratias maximas tibi ago pro nimia sane Latinitatis meae laude. Ipse vix dixerim conatus meos Societati

honori fore, tamen bene intellego tuam non esse respuendum sententiam, cum quod tuam non possum quin vehementer admirer Latinitatem, tum quod vix inveniatur qui nugarum mearum plura indulserit legendo. Vix ergo aequior reperiatur iudex. Quare sinas, quaeso, propositum tuum unum mente verser diem atque certius crastino die expecta responsum. - Ceterum et de fabellula in Latinum vertenda cogito, nam nuper legi nonnullas *Plain Tales from the Hills* illius Kipling, quarum unam vel alteram certe dignam putaverim toga ut induatur. Dicendum autem est me muneribus revera aliquatenus opprimi, nam sat multum doceo (praecipue pro istis *Volkshochschulen*) atque simul de rebus pecuniariis paululum sollicitor.

Sed hoc nihil ad te, care Leo. Lunae die tibi rescribam. Valetis interea athleticè, mi Leo, atque cum hibernis istis tempestatibus, tum Dominica hac Aeternitatis quae dicitur aeterna cum lingua fruaris. **Johannes**

d.26. m.Nov. a.2023 h.9:41

Nicolaus Iohanni Petro suo s.

Summas gratias pro responso prompto! Valde gaudeo, quod de epistulis scribendis similiter iudicas ac ego. Suspenso animo exspecto, num facturus sis acroasin zoomianam. Libenter nomen tuum Praesidi Christiano commendabo. Ceterum exopto, ut hunc diem Dominicum degas recreabiliter. Haec brevissime, mox, si volueris, certe plura. **Vale basilice, medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.**

d. 01. m.Dec. a.2023 h. 10.10

Joannes Petrus Leoni s.

Salvus sis, Leo optime maxime! Excusatum me habeas, quaeso, ob responsum tardius, quippe quod per aliquot dies aegrotabam. - De proposito vestro interea cogitavi. Placuerit certe quaedam dicere de linguis (non Latina tantum) docendis, propterea quod non nonnullis in locis variis munere vel functus sum vel adhuc fungor, variis in modis ipse docui, multum cum discipulis cumque iis qui olim discipuli fuerunt collocutus sum. Vel maxime fortasse agitur de ea re quae Latine fortasse *discendi aviditas*, aliis in linguis autem *motivation* vel sim. Ergo fortasse proposuerim: *De discendi aviditate deque linguis docendis*. Quid sentis, Leo mi? **Vale! Johannes**

HORATIUS ANTONIUS BOLOGNA POETA LAUREATUS

d.21. m.Sept. a.2023 h.15:33

Nicolaus Leo Latinus Antonio Horatio Poetae Laureato sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Iamne accepisti Epistulam Leoninam 284? Cui insunt duae symbolae quae spectant ad historiam Romanam: "De interitu Imperii Romani" et "De Romanorum virtutibus". Animo suspenso exspecto, quid tu sensurus sis de his symbolis.

Ceterum quidam Lector Epistulae Leoninae, cui nomen est Gustavus Tavares, de carmine tuo haec nobis scribit quae sequuntur:

"In his, re poeticâ summopere delector, unde aio me, otiolo dato, manu tenuisse et corde legisse Horati Antoni elegiam (EL 283, pp. 8-9), dulce prorsus carmen, maestitiâ tamen - ut ad rem convenit - illitum. Id unum animadverto, praetera mihi satis molle simul et ingeniosum, quòd in versu 44 legatur "fluctus horrisonus", in quo loco auctor illam vocabuli "fluctus" posteriorem syllabam produxit ante litteram "h", quae componendi ratio graecum quiddam sapit. Ne plura, hoc dumtaxat exemplum et id Vergilianum laudare est imprimis clarum notumque: ille, latus niueum molli fultus hyacintho (Ecl. Vi 53). - Haud secus heic, hiatu quodam effecto, syllaba brevis in tempus (vel - ut assolent nonnulli usurpare - in moram) producitur : fluctus horrisonus || murmure dura lavat."

Licetne te rogare, ut huic adnotatiunculae Gustavi Tavares respondeas? Verba tua semper libenter publicabo. - Quia hoc tempore aegrotat Avis mea Tonitrualis (Mozilla Thunderbird), i.q. systema epistulas electronicas mittendi, haud certo scio, num recte tibi allata sit Leonina mea. - Vale semper pancratice, Horati Laureate, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.22. m.Sept. a.2023 h.09:26

Nicolao optimo s. d. Horatius

In primis te optime ualere puto. Ipse his diebus haud bene ualeo. EL 284 libenter accepi, sed nihil adhuc legi. Indicem tamen uidi et symbolas, de quo agis, mirabundus uidi. Spero fore, ut intra dominicam diem legam et quid de re sentiam libenter scribam. Ipse, uti profecto scis apud Ciuitatem Vaticanam uerbis nouandis operam dedi. Sed nec est Lexicon confectum, nec conficietur. Mihi sunt duo fasciculos, in quibus sunt innumera uerba noua in linguam Latinam a me uersa. Scio te nouum lexicon comparaturum esse. Ipse libenter fasciculos ad te mittam, si indicem cursualem tuum facias ut nouerim. Quod ad adnotationem illius doctissimi uiri, Gustauus Tavares nomen, libenter quid putem expono. Syllaba uel producta uel brevis est in poetae animo, qui plerumque maiorum mores sequitur. Et ipse maiorum poetarum uestigia sequor. Quod uero ad locum notatum pertinet, haec pauca sunt praeterea considerata: *fluctus* uerbum *u* uocale, quae est natura brevis, productam praebet, quia minimum consonantis *s* pondus uocalem *u* producit. Qua de causa rei metricae periti consonantem *s* implosiuam dicunt. Si explosiua esset, merito *u* brevis esset, quia poetae animo sentiret *fluctu -shorrisomus*. Sed hoc in uersu est legendum *fluctus – horrisonus*, ut in Vergiliano exemplo, ad attulit, legitur. Me satis dixisse puto. **Basilice ualeas. Horatius**

d.24. m.Sept. a.2023 h.09:46

Nicolao opimo s. p. d. Horatius

Quamuis haud bona ualetudine fruar, sum priorem tantum symbolam legere conatus. Quid de re sentiam palam ostendam, spe fisus, ne maligni, qui multi sunt et in dies, pro dolor, increbrescunt, me hariolari putent.

Homo, ut Aristoteles docuit, animal sociale est. Quod uero, sed praecipuum, praclarum illum uirum fugit: hominem animal migrans esse. Quod, rerum scriptoribus testibus, est omnibus temporibus innumeras ob causas factum. Nolo hic de antiquissimis migrationibus loqui, quarum profecto doctus lector, sacrorum librorum paginis euolutis, notitias habet. - Ideo Romanum quoque imperium, quibusdam temporibus praesertim, quibus multas ob difficultates homines sunt migrare coacti, maximum tolerauit incommodum. Ceterum nostris quoque temporibus innumerae gentes, ut bella, famem, seruitutem, saeuities fugerent, in alias gentes, ubi tranquillior uita uidetur, transire non dubitant. Nullus transit dies, quin diurnarii nos Italos certiores faciant uel in Lopadasam insulam, uel in Siciliam, Africa ratibus parum idoneis relictis, multa hominum, mulierum puerorumque milia egressos. - Quod, ni fallor, omnibus romanorum temporibus evenit. Nos, ut mihi uidetur, nisi funditus fusiusque hominum uitam uestigemus, comperimus hominem peregrinum semper fuisse, donec ciuitates condidit et uno continuo mansit loco. Quod uero sero euenit. - Qua de causa his quoque temporibus homo, patria relictis, alteram quaerit patriam, in qua commodius uiuere possit, ut plerumque est antiquitus factum. Nam Romani innumeros uiros acceperunt et ciuitate Romana donauerunt. In quibus est Terentius Afer, ille comoediarum Auctor. Ceteros premitto, ne longior index esset. Sed Horatium tantum memorare non possum, qui romanus origine certe non fuit. - Imperium Romanum non tantum gentium migratio sed innumerae aliae causae ad finem adduxerunt. In quibus principem locum obtinent principes illi, qui tertio saeculo p.Chr.n., magna elargita praetorianis militibusque mercede, imperium emerunt. - Hic denique gratulor eximio professori Demandt uel magnam ob eruditionem, uel perspicuum praesertim ob ingenium, quia nostae aetate uidit quod praeteritis iam saeculis euenerat. Sed notandum est quid de externis gentibus nos ipsi sentiamus. Si, enim, aduenas in idoneos ludos duceremus, annis praetereuntibus fortasse eadem sentirent ac indigenae. Ceterum et inter Europaeos populos magna est contentio, diuersitas, inaequalitas. Neminem certo fugit quantum odii sit adhuc inter quibusdam nationes. - Gratulor tibi, quia Romanorum semone oprime usus, tam praecipuum scriptum es uolgare ausus. - Cura, ut quam plurimum ualeas. **Horatius**

d.25. m.Sept. a.2023 h.00:49

Nicolaus Horatio Poetae Laureato sal.pl.

Gratias magnas, care Horati, tibi ago pro uerbis tuis beneuolis.

Verissime in memoriam revocas uerba Stagiritae dicentis hominem esse ens sociale necnon rite me commonefacis caritatis christianae. Tamen uera sunt etiam uerba Horatii Venusini: EST MODUS IN REBUS SUNT CERTI DENIQUE FINES. Africa est ingens terra continens, multo maior quam Europa nostra paruula. Europa non

potest recipere omnes Africanos (et Syros et Afganos etc etc etc), qui velint possessiunculam suam augere systemata socialia Europaeorum invadentes.

Non loquor de iis paucis, qui revera ex patriis suis aufugerunt aut belli aut persecutionis causa; iis humanitatis causa est et maneat ius asyli petendi.

At plerique immigratores

1) non sunt vere pauperes: si tales essent, non potuissent mercedem dare magnam subintroductoribus (qui non sunt servatores, sed furciferi sceleratissimi). Homines vere pauperes non possunt magna itinera facere et multam pecuniam dare subintroductoribus.

2) Plerique immigratores non sunt mulieres et infantuli deplorabiles, sed maximam partem sunt flos iuventutis, iuvenes robustissimi et valentissimi. Eorum autem emigratione Africa orbatur iis hominibus, quorum officium est patriam suam fovere et exaugere.

3) Permulti immigratores religione sua islamica et lege Schariae imbuti nullo modo volunt se accommodare ad nostros mores et consuetudines et leges. E contrario: cognatos et agnatos et vicinos et uxores complures ex patria sua arcessentes novam condunt coloniam in terra Europaea non flocci facientes nostrum cultum civilem.

4) Petrus Scholl-Latour, quidam diurnarius in Germania illustrissimus qui nuper obiit grandaevus innumeris itineribus factis permultarum gentium et nationum peritissimus, haec fecit verba: SI IN NOSTRAM TERRAM ADDUCIMUS CALCUTTAM DIMIDIAM, NON AUDIUVAMUS CALCUTTAM, SED FACIMUS IPSAM TERRAM NOSTRAM NOVAM CALCUTTAM.

Sic ea quae ille Prof. Demandt historicus dicit de interitu Imperii Romani, denuo ad veritatem adducuntur immigratione Europae moderna.

Sed sufficiant haec in praesenti; thema est revera ingens, quod longiore disputatione est dignissimum. - Restat, Horati carissime, ut meliorem valetudinem tibi exoptem toto ex corde et tibi in memoriam revocem fascis Lexici tui quos mihi mittere voluisti. Ceterum velim, si licet, scire, quam de causa Vaticani ab incepto huius Lexici scribendi destiterint. Haec hactenus; mox, si volueris, plura et subtiliora. Pancratice vale, mi Laureate, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.28. m.Sept. a.2023 h.06:27

Nicolao opimo s. d. Horatius

Ad horam hesterni diei VI per cursores publicos ad te fasciculos, de quibus iam egi, tandem misi. Spero fore ut inuolcrum ad te integrum ac quam primum perueniat. - Ex me uero quaesisti quam de causa Lexicon Latinum Vaticanum, cui sedulo opram dedi, numquam sit in lucem prolatum. Paucis absoluam. - Grex, ad opus conficiendum uocatus, minime idoneus fuit. In sessionibus de omnibus rebus singuli locuti sunt, raro de uerbis condendis. Denique praeside mutato nimiam ob aetatem opus relictum est. Te basilice ualere iubeo. **Horatius**

d.28. m.Sept. a.2023

Horatius Nicolao s.

Fasciculi, uti vides, in tanto involucro continentur, quod ne universali quidem diluvio deleri possint. Valeas quam plurimum. **Romae a.d.VI. Kal.Oct. a.MMXXXIII Horatius.**

d.30. m.Sept. a.2023 h.21.19

Nicolaus Horatio Antonio Poetae Laureato sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Fasciculos tuos modo accepi salvos atque integros. Cum eosdem cucullo involveris impermeabili, certe ne diluvio quidem universali essent deleti. Gratias ineffabiles tibi ago, o Horati Laureate! Verba a te novata si quae citabo, adscribam: (Horatius Antonius Bologna, per litteras). Assentirisne? Utinam interim meliore valetudine fruaris! Haec raptim, mox, si volueris, certe plura. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus.

URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

h.19. m.Sept. a.2023 h.14:06

Nicolaus Urbano Ferrario sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Urbane, rectene vales? Accepistine heri novissimam meam Epistulam Leoninam (284)?

Inest epistula tua necnon duae symbolae historicae: "De interitu Imperii Romani" et "De Romanorum virtutibus". Animo suspenso exspecto, quid tu sensurus sis de iisdem. Quia "avis tonitrualis" ("Mozilla Thunderbird"), i.e. programma epistulas electronicas mittendi meum aegrotat, utor alio systemate ("Webmail"), incertus, num bene operetur. Itaque quaero ex te, num bene acceperis Epistulam novissimam. Vale semper pancratice, optime Urbane, et perge mihi favere. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus

h.24. m.Sept. a.2023 h.01:19

Urbanus Leoni Latino salutem.

Recte valeo, amice. Spero te quoque bene valere. Accepi epistulam ducentesimam octogesimam quartam (284), quam misisti XIV Calendas Octobres. Symbolæ, de quibus me interrogasti, admodum placuerunt. - Argumenta «de interitu Imperii Romani» verisimilia mihi videntur; et audeo dicere Europam, vel totum orbem occidentalem, iisdem modo laborare malis, quibus olim corrui Imperium Romanum. Iam tibi aperui quid sentiam de civitatibus modernis globalismo subiectis, quæ præter illud, quod legibus suis culturam occidentalem aperte contradicant eamque frangere conentur, insuper et in bona civium in eorumque corpora (!) tyrannice irruunt. Quamobrem suspicor res nostras in periculo iam versari; ex quo tamen periculo non eripientur nisi multis restorationis inceptis transigendis per multa sæcula ventura. - De virtutibus legere, de virtutibus cogitare, aliquando et sermocinari de virtutibus, amice, scias semper mihi placuisse. Quoties recitavi illas virtutum definitiones, quas

Cicero nobis reliquit in suis Inventionibus! Eius admiror perspicuitatem, qua in Tusculanis Disputationibus et in libris de Officiis usus est. Hæc omnia descripsi, ut quam gratum mihi fuisse scias invenire symbolam tuam de ordem argumento. Per te multa didici. - Sed in aliam rem mutemus sermonem. Nuper audivi administrationem Canadensem coegisse dominum quemdam ad effundenda lactis triginta litrorum millia, ne abundantia minueret lactis pretium. Eadem de causa, ne pretia minuantur, lac ex aliis terris illuc invehi omnino prohibetur. Si agatur de terra mea, ex una parte esculentorum pretia augentur, ex altera gasolei deprimitur copia; quæ egestas si fiet, mercium transportatio in discrimen adducetur. Quod si hæc mala satis non sint, ex data Supremi Tribunalis sententia, et leges et iurisprudentia dominis agrestibus de coacta prædiorum alienatione iam minantur. Hæc omnia mihi in mentem attulerunt recens insulæ Taprobanes experimentum. De illa quid factum est? Hæc habebam, quæ tibi scriberem. Cum tibi licebit, rescribe mihi. Dedi Brasiliopoli, Saturni die, IX Calendas Octobres, anno MMXXIII. **Urbanus**

d.25. m.Sept. a.2023 h.00:01

**LEO LATINUS URBANO FERRARIO LATINITATIS PROPUGNATORI
FORTISSIMO SAL.PL.DIC.**

Elato animo, mi care amice, legi responsum tuum prolixum, ex quo apparet te et me inter nos coniungi communitate cogitationum et studiorum. Talis concordia vere pretiosa mihi esse videtur ista aetate, ubi condicio dominatur Romanorum proverbio perfecte contraria: DOMI DISCORDIA, FORIS BELLUM! Quod attinet ad statum societatis, qualis valet in terris, quae mihi prius vehementer variae visae erant, quales sunt Germania et Corea et Brasilia, inde ex ortu istius pseudopandemiae iterum iterumque miror de subita similitudine malorum - ut concludam Diabolum revera non esse nationalem, sed - globalem! Tu loqueris de egestate consulto effecta - nos in Germania plus plusque animadvertimus terrore perfusi gubernationem nullo modo prospicere commodo et prosperitati populi, sed in dies plura excogitare quibus populus fiat pauperior eiusque libertas deminuat.

Verum einim vero: gubernatio nostra non sequitur Romanorum proverbium, q.e. SALUS POPULI SUPREMA LEX - sed magna cum vehementia populo affert detrimenta! Exemplum maxime infame spectat ad climatis protectionem, sub cuius praetextu multi cogantur, ut amittant domunculam suam per dimidiam fere vitam multo cum sudore comparatam; nam gubernatio praedatrix postulat, ut domus climatis causa instruat antlia calorifica pretiosa et inutilis. Augentur pretia victualium gasi benzini olei; semper timor incitur variarum rerum: (pseudo)pandemiae novae, catastrophae climaticae, Russorum, e.al. Nonnulli dicunt hoc genus tyrannidis "phobocratiam", i.e. dominatio, quae fit timore iniciendo. Nam homines timidi non iam postulant libertatem. Absurdissima est ideologia "wokeismi", quae iam infantulis in nepiagogio inculcatur. Molestissimi et in dies periculosiores sunt iuenculi "agglutinatores climatici" (a Georgii Sorosii organisationibus adiuti et pecunia saginati), qui climatis causa viae agglutinati autoraedarios impediunt, ne vehantur ad operam suam exercendam aut ad aegrotos ad nosocomium afferendos. Ira

civium crescit... Difficile est saturam non scribere - ut ait Iuvenalis. Interdum iuvat lacrimas abdere ridendo...

Utinam resurgant e sepulchris Iunius Brutus et Cato maior et Manlius Torquatus et pro sua Minerva crassa et prudentia civili in malam crucem abigant omnes istos wokeistas et agglutinatos et satanistas...totam istam catervam nefastissimam...

Sed tu mi care Urbane, ne cede malis et contra audentior ito! Vale semper pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.24. m.Oct. a.2023 h.00:34

Urbanus Leoni Latino salutem dicit.

In primis, ut vales, amice? Quam recte geruntur res tuæ? Vidistine in Argentinis suffragiis Xaverium Mileium obtinuisse alterum locum? - Mitto tibi libellum brevissimum, quem scripsi collegis meis illis, qui in Magistratu Iuris Canonici linguam Latinam tradunt. Quid videtur? - Dedi Brasiliopoli, Lunæ die, X Calendas Novembres anno MMXXIII. **Urbanus**

d.24. m.Oct. a.2023 h.01:29

Leo Latinus Urbano suo optimo sal.pl.

Gratias magnas, mi care amice, pro litteris libelloque. Bene valeo lexicographicis laboribus immersus, sed mox novam Leoninam publicabo. Haec raptim, quia fatigatus sum, spero cras fieri posse, ut tibi scribam epistulam prolixiorum. Vale semper, medullitus te salutat **Leo Latinus**.

d.24. m.Oct. a.2023 h.00:34

Urbanus Leoni Latino salutem dicit.

In primis, ut vales, amice? Quam recte geruntur res tuæ? Vidistine in Argentinis suffragiis Xaverium Mileium obtinuisse alterum locum? Mitto tibi libellum brevissimum, quem scripsi collegis meis illis, qui in Magistratu Iuris Canonici linguam Latinam tradunt. Quid videtur? Dedi Brasiliopoli, Lunæ die, X Calendas Novembres anno MMXXIII. **Urbanus**

d.17. m.Nov. h.19.53

**LEO LATINUS URBANO SUO QUANTITATUM STUDIOSSIMO SAL.PL.
S.V.E.E.V.**

Mi care amice, da veniam, quod tam sero tibi respondeo. Praeceptis tuis prosodicis inspectis miror de ratione tua **vocalium longitudinem** indicandi. Nam tu (ut Hungari in suorum ipsa lingua) id signum adhibes ad longitudinem vocalis indicandam, quo grammatici Latini solent uti ad **accentum syllabarum** indicandum.

Tu scribis illo modo:

Brevis erit syllaba, cuius vócalis nátúrā corripíatur, neque habeat post sé duás vel plúrēs consonantés, ut: — a-ni-mus (brevis, brevis, brevis) — ca-ve-a (brevis, brevis, brevis)

Equidem scriberem modo hóc: Brevis erit syllaba, cuius vōcālis nātūrā corripíatur, neque habeat post sē duás vel plūrēs cōnsonantēs, ut: — ă-nĩ-mŭs — cǎ-vě-ă

An rationem tuam indicandi falso intellexi? Haec raptim, mox libenter plura.
Vale pancratice, medullitus, **Nicolaus Leo Latinus**

d.17. m.Nov. h.21.09

Urbanus Leoni Latino salutem.

Indicandæ longitudinis rationem, qua usus sum, perfecte intellexisti, carissime Leo. Etenim Quintiliani præcepta secutus, apicem, ut ille appellat, solis vocalibus longis apposui. Nam, signatis longis, non videbatur necessarium item brevibus apponere notas, quæ sic frequentarentur, ut nimis tardarent scribendi laborem. Præterea, nescio qua de causa (forte ex imperitia scribentis), plectra computatralia Lusitana difficilem reddunt usum aliarum notarum. Gaudeo denique, quod, præter apicem, alias res non invenisti reprehendendas. - Ceterum vale multum. Te tuosque saluto.

Dedi Brasiliopoli, Veneris die, XV Calendas Decembres, anno MMXXIII. **Urbanus**

d.17 m.Nov. a.2023 h.19:51

LEO URBANO S.

Gratias pro responso prompto. Sed quo signo diacritico indicas - si in contextu tibi videtur necessarium – accentum syllabarum? Haec raptim, mox certe plura. Vale fortiter, **LEO LATINUS**

d.18. m.Nov. a.2023 h.01:04

Urbanus Leoni salutem.

De more nullum adhibeo signum in scriptis, nisi in schola, ubi solo apice utor, ut discipuli assuefiant ad distinguendas quantitates. Sed eos moneo de re, id est, illi sciunt in sola schola hoc signum sic adhiberi. Urbanus

d.20. m.Nov. a.2023 h.15:49

Urbanus Leo Latino salutem.

In Prosopobiblio inveni imaginem, quam tibi mitto. In ea, nomen proponitur ad appellandam illam machinulam, quæ alcoholis ethylici metitur rationem in sanguine. Quod nomen est: ethylometrum, etiam dictum alcoholimetrum. - Ut sciam, ethylicus, unde ethylometrum deducitur, est adiectivum a duobus verbis confictum, quæ sunt «æther» et «hyle» (quod extremum Græce sonat materiam). Hac posita origine, et adiectivum «æthylicus», et exinde substantivum ex eo conflatum «æthylometrum», nonne per diphthongum «æ» essent scribenda? An de origine fallor? **Urbanus**

d.20. n.Nov. a.2023 h. 12:44

Nicolaus Urbano suo s.

PLACET MIHI XAVIERUS: MIHI QUIDEM VIDETUR ESSE SINCERUS ET MODESTUS: GAUDET DE VICTORIA SUA, SED NON EST VICTORIA INEBRIATUS: SINCERE LOQUITUR DE DIFFICULTATIBUS. CETERUM XAVIERUS DICITUR ESSE ADMIRATOR DONALDI TRUMPII (QUI A DIURNARIIS NOSTRIS SOLET DIFFAMARI MALEVOLENTISSIME). PLACET ETIAM AFFECTUS ANIMORUM. QUID TIBI VIDETUR, OPTIME URBANE? BRASILIANI QUOMODO COGITANT DE ARGENTINA?

VALE SEMPER PANCRATICE, CARE URBANE, ET PERGE MIHI FAVERE.
MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS

MILEI ES PRESIDENTE DE LA NACIÓN ARGENTINA!!!! <https://www.youtube.com/watch?v=hk6S8qG6OS8>

d.20. m.Nov. a.2023 h.17:29

Urbanus Leoni Latino salutem.

Nobis Brasilianis totique Americæ Australi electio Xaverii Milei magnam affert spem. Nam consociatio illa, cui nomen est Forum Paulopolitanum, quæ nihil aliud est quam sinistrarum, criminalium narcoticarumque factionum glomeratio, maxima detrimenta attulit non solum Argentinae, verum etiam Venetiola, Columbia, Boliviae et Brasiliae. Huius funestissimæ consociationis vi, hodiernus Præses Lula non electus, sed nominatus et renuntiatus est.

Ipsæ enim spero ex imo corde, ut fratres nostri Argentiniani tandem pace, libertate et prosperitate gaudere possint. Nam si illis bene fuerit, mox nobis bene erit. - Vale multum, amice. Dedi Brasiliopoli, Lunæ die, XII Calendas Decembres anno MMXXIII. **Urbanus**

d.25. m.Nov. a.2023 h.20:52

NICOLAUS LEO LATINUS URBANO SUO OPTIMO BRASILIOPOLITANO SAL.PL.DIC.

Christianus Laes Belga Præses Academiae Latinitati Fovendae noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit zoomianae acroasi faciendae. - Nonne tibi placet coram Academia nostra per visificium (Bildschirm) nobiscum communicare *scientiam tuam (proponas, quaeso, themata tibi grata)*? Perplacent mihi tuæ epistulae, quibus soles patefacere scientiam multam, magnumque mentis acumen. - Libentissime te oratorem praesidi commendabo. Pro certo habeo Latinitatem tuam honori fore Academiae. - Ipse paratus sum ad *Epistolographiam* tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? Quidam auctor Britannus, cui nomen est *Simon Garfield*, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("*To the Letter. A Journey through a Vanishing World*"). Idem Simon contendit propter epistoliorum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Equidem Simoni contradicam. Nam his 50 fere annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronica nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldiana? - Scribas mihi quam maturime, ut sciam, num paratus sis. Dies nondum certus est; indica mensem (Ian.- Febr. - Mart.). Si paratus eris, te Praesidi commendabo. - Vale pancratice, mi care Urbane, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **NICOLAUS LEO LATINUS**

d.27. m.Nov. a.2023 h.15:10

Urbanus Ferrarius Leoni Latino salutem.

Licet me non habeam paratum ad acroasim faciendam, libentissime tamen acquiesco invitationi tuæ. Dum tibi scribo, nondum mihi venit in mentem qua de re vobis sim locuturus, sed, si mensem Februarium mihi reservetis, puto satis temporis dari, ut aliquod argumentum excogitem, et vobis commode faciam verba. - Ni fallor, mense Septembri huius anni, non modo legi, sed etiam in Lusitanum converti quasdam sancti Cypriani Carthaginensis epistolas, in quibus de multis rebus tractabatur, inter quas, exempli gratia, de disciplina liturgica, de accendendis martyrum animis, de diœcesi gerenda, de sustentando clero, de fidelibus consolandis. In quibusdam epistulis, inveni, præter argumentorum varietatem, Latinitatem satis emendatam et splendidam; in quibusdam vero res ardue et obscure scriptas. Non aliter fit in præsentia. Quotidie per telephonium mihi mittuntur tachigrammata, quædam brevissima, quædam aliquantum longiora, quædam intellectu difficilia, quædam vero emendate data, in quibus extremis ratio scribendi et argumenta tractata videntur esse laude digna. Ita mihi videtur de re epistolaria. - Vale, amice; valeantque tui. Dedi Brasiliopoli, Lunæ die, V Calendas Decembres, anno MMXXIII. **Urbanus**

GUSTAVUS TAVARES BRASILIANUS BELLHORIZONTIENSIS

Nicolaus Gustavo Bocatii interpreti splendido sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Gustave, quid fit, quid agitur - rectene vales? Quo caelo nunc est urbs tua patria? Estne ibi horizon semper bellus? Accepistine heri novissimam meam Epistulam Leoninam (284)? Inest epistula tua necnon duae symbolae historicae: "De interitu Imperii Romani" et "De Romanorum virtutibus". Animo suspenso exspecto, quid tu sensurus sis de iisdem. Quia "avis tonitrualis" ("*Mozilla Thunderbird*"), i.e. programma epistulas electronicas mittendi meum aegrotat, utor alio systemate ("Webmail"), incertus, num bene operetur. Itaque quaero ex te, num bene acceperis Epistulam novissimam. Vale semper pancratice, mi care Gustave, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.27. m.Sept. a.2023 h.23:26

Gustavus Nicolao Leonino s.d.p.

Ita est quod te spero ne inique feras quod *Leoninum* iam iterum appellaverim. Appellationem enim quàm operi tàm homini respondere iudico, cui simul utrique satis audaciae satisque ferociae, quale sibi capit leo, inesse videtur - ferox scilicet Latinitatis propugnator, audax litterarum cultor iure meritoque tute haberis, quem (si nova licet fingi) *littericultorem* haud indubitanter vocaverim. Scias velim me non eâ esse indole ut hominem quempiam blandis assentatorium in modum dictis afficiam. Verum enimvero dixi quod sincero animo sentio, nam tu quidem operam moliris qualem cogitabundus ipse unquam aggredi cupio, nempe symbolas aliasque cogitationes tam crebro tamque ubertim per scripta evulgare. Quamobrem ut qui maxime gratulor tibi pro *Litterarum Leoninarum* incepto. Quas ego postremas ex

more ac sine ullo rei obstaculo accepi, primoque obtutu sum miratus quam ibi copiosam locorum, qui ad veterum Romanorum mores intitutaque inquirenda reperiuntur, congeriem nobis praeuisti. Certe ad varios usûs illud erit tamquam florilegium, maximeque ad uniuscuiusque nostrûm cogitationes meditationesque, si fit ut vetera illa cum recentibus praesentibusque, quibus maxima pars intersumus, conferamus. - Ad haec, si locus datur quo possim in Mauri Pisini carmine partim allato quoddam observare, ad lineam 23 (*in tiliae gemmis, deinde herba in solstitiali*) versus *polysyllabo* quod aiunt vocabulo concluditur, quae clausula priscum quoddam sapit redoletque. Nam Vergilii eiusque aequalium temporibus (i.e. classicâ, quae dicitur, aetate) id genus clasulae non nisi nominibus graecis constare admittebantur. Sit per haec exempla rei demonstratio:

fagina, caelatum divini opus Alcimedontis (Verg. Buc. iii 37)

quarum quae forma pulcherrima Deiopea (Verg. Aen. i 72)

quarum quae fandi doctissima Cymodocea (Verg. Aen. X 225)

At poetae qui post classicam quam dicunt aetatem floruerunt, senioris nempe aetatis, vetustiore consuetudinem, quae ab Ennio Lucretioque usque derivatur, denuo in usum redigere comperiuntur, quales Iuvenicus Ausonius Beda Fortunatus ceterique huiusmodi et ii magno pretio existimandi. Confer haec exempla Ennii Lucretiique.

Non cauponantes bellum sed belligerantes (Enn. frag. v. 187)

Insece Musa manu Romanorum induperator (Enn. frag. v. 322)

cum quibus et quali positura contineantur (Lucr. R.N. i 818)

volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti (Lucr. R.N. i 945)

Noster quoque consuetudinem vetustissimam pariter ac recentiore licentiam sibi sapide arripuit cum scripsit illud *solstitiali* - et quidem pulchre!

Atque laudasti quam interpretationem Bocatianam haud ita pridem feceram. Nuper aliud interpretandi periculum apud Domum Ephemeridem edendum curavi. Cuius periculi auctor fuit nomine *Joachimus Maria Machado de Assis* isque copiosus ac facundus inter eos qui, cum e bono Litterarum Brasilianarum penu sint, legendi iure existimantur. Floruit ille sub XIX saec. exeunte scripsitque multa et varia. In his mythistoria aequalibus civibusque satis clara cui titulum vernacule *Memórias Póstumas de Braz Cubas* non video me male vertisse *Postumos Blasii Cubae Commentarios*, cuius quidem operis capitulum quartum, ut interpretandi periculum facerem, latine redditum nuperque in publicum editum tradidi lectori benevolo iudicandum, utrum merito an immerito fecerim. Quod periculum, cum tibi otium fuerit libueritque, fac obsecro existimes non quidem eius animo qui blanditur, sed eius qui lectu obscuriora minimeque ad bonam latinitatem conformata castigando periclitatem certificat. Etenim optimorum latinarum litterarum cultorum tamquam obrussâ mihi opus erit, qui consilium suscepi ut probatos quosdam brasilianos auctores in sermonem latinum redderem. -

Quid plura? Id tantum possum adiungere qui magnâ me esse laetitiâ motum dicam cum viderim meas ad te litterulas transcriptas vulgatasque in eorum conspectum qui tuas evolvere assolent *Epistulas Leoninas*. - Etiam atque etiam vale

Dabam Bello Horizonte, VI Kal. Oct., anno MMXXIII

P.S.: Abs te veniam peto qui nisi sero tuis litteris responderim. Causa fuit quod antequam mentem sententiamque de rebus quae ibi leguntur redderem, universam epistulam evolvere volebam. Attamen restat etiamnum ut narratiunculam, quam latine interpretatus 'de Iacobello Botone et Luca Hamaxista' edidisti, legam. Ad ultimum, rogasti de temperie caeloque deque ipsâ ubis formâ: sic bellus prospectus ei praebetur admirationi, qui cacumina vallium quibus oppidani circumagimur escenderit. In medio enim convalli Bellihorizontenses habitant - loca pulchra sane, montana, quondam frigida, nunc debito calidiora, aridiora: o tempora o tempestates! Sed tamen amoena satisque ad victum cultumque apta! **Vale iterum, bone Nicolae Gross!**

GUGLIELMUS MONETTI PHILOLOGUS PLINIANUS

d.26. m.Nov. a.2023 h.00:10

NICOLAUS LEO LATINUS GUGLIELMO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC.

Quid fit, quid agitur, care sodalis? Iam longo ex tempore nihil a te et de te legi scriptum. Esne immersus litteris Plinianis? Modo spectavi pulchram imaginem, qua ornatus est versio tua Pliniana: *Plinio il Vecchio, l'umano (Storia naturale, Libro VII), a cura di Guglielmo Monetti, con un testo di Marino Niola, Marsilio, 2023*

Perplacet! - Christianus Laes Praeses Academiae Latinitati Fovendae noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit zoomianae acroasi faciendae. Nonne tibi placet coram Academia nostra per visificium (Bildschirm) nobiscum communicare scientiam tuam Plinianam aut aliam? Themata certe tu habes plurima tractanda. Ipse paratus sum ad *Epistolographiam* tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? - Quidam auctor Britannus, cui nomen est *Simon Garfield*, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("*To the Letter. A Journey through a Vanishing World*"). Idem Simon contendit propter epistoliorum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Equidem Simoni contradicam. Nam his 50 fere annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronica nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldiana? - Scribas mihi quam maturime, ut sciam, quomodo valeas. Utinam mox pergamus nos invicem ditificare litteris Latinis communicandis. - Vale pancratice, mi care Guglielme, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **NICOLAUS LEO LATINUS**

EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI



PROF. DR. CHRISTIANUS LAES
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS

Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore negligere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suoapte se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest. Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim

iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristino gratias ago, qui hoc propositum summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp
Stadscampus·S.SJ.303·Sint-Jacobsmarkt 13·
B 2000 Antwerpen

CERTAMEN QUIRINALE

Academia Latinitati Fovendae ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut **optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.**

Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut **symbolam** (iam typis traditam) **non ex alio sermone versam nec quinque paginis brevior** iudicibus **ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant** ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est certamen.quirinale@gmail.com. Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam existimandam omnis candidatus tradat.

Collegium sodalium Academiae attente **considerabit ac iudicabit commentationes doctas** (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), **aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate**. Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.

Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate. Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.

Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. *Aevum*, *Arctos*, *Aristeas*, *Eos: commentarii Societatis Philologiae Polonorum*, *Epistula Leonina*, *Eranos*, *Exemplaria Classica*, *Giornale Italiano di Filologia*, *Gnomon*, *Hermes*, *Hyperboreus*, *Latinitas*, *Latomus*, *Melissa*, *Museum Helveticum*, *Peitho: examina antiqua*, *Philologia Classica*, *Renascens*, *Rheinisches Museum für Philologie*, *Rhetorica*, *Symbolae Philologorum Posnanensium*, *Tyche*, *Vox Latina*.

MARCUS CRISTINI LECTORIBUS EPISTULAE LEONINAE S.P.D.
De conspectu poetarum Latinorum nostri saeculi componendo

Marcus Cristini lectoribus *Epistulae Leoninae* s.p.d.

Certiores vos facere velim, domini dominaeque maxime honorabiles, de incepto quod ante annum adgressus sum quodque mensibus proximis futuris ad finem ducere velim. Statui enim carmina Latina recentissima (ab anno 2000 usque ad diem hodiernum edita) colligere et conspectum poetarum Latinorum saeculi vicesimi primi componere, ut conspectum illum de poetis Latinis saeculi vicesimi a Iosepho IJsewijn olim conscriptum et dein a Theoderico Sacré auctum - quantum possum - ad diem hodiernum perducerem. Hoc modo lectores futuri Latinae poesis cupidi titulos carminum et ubi typis traditi sint statim cognoscent.

Iam laudavi poemata omnia, quae leguntur in commentariis periodicis Latinis hodiernis (et adhuc exstantibus et vita functis) maioris momenti, qui sunt *Epistula Leonina*, *Latinitas*, *Melissa*, *Renascens*, *Rumor Varius*, *Vates* et *Vox Latina*. Nonnullos quoque libros poetarum Latinorum recentiorum legi diligenterque recensui. Timeo autem ne carmina haud pauca in actis diurnis, commentariis periodicis vernaculis, ephemeridibus universitatum studiorum vel miscellaneis ad doctum quendam celebrandum (vulgo *Festschriften*) edita me effugerint. Qua de causa vos oro, candidi lectores, ut mihi scribatis (sermone Latino, Germanico, Anglico, Italico, Francogallico vel Hispanico), si quis vestrum versus Latinos quavis ratione panctos ab anno 2000 usque ad diem hodiernum publici iuris fecerit. Inscriptio mea electronica est marco.cristini92@gmail.com, cursualis vero Marco Cristini, via XXV Aprile 6, 25121 Brescia, Italia.

Ceterum vos auxilio arcessere velim, si mihi indulgetis, in opusculis nonnullis inveniendis.

- ***Pro Lingua Latina Zeitschrift***: fasciculos omnes ab a. 2000 usque ad a. 2023 legere velim, sed ii nusquam in Italia inveniuntur. Iam interrogavi commentariorum moderatores, qui mihi pro dolor subsidio venire recusaverunt.
- Laura D'Arpe: ***Iris (Ametrica carmina II)***, Copertino. Lupo Editore 2014.
- Commentarii periodici Dacoromani q.t. ***Timpul*** (Iași), qui carmina continent a Livio Franga Dacoromano scripta (fasciculos, qui mihi opus sunt, libenter indicabo).

Habetisne, quaeso, apud vos hos libellos? Cognoscitisne aliquem, qui haec habeat? Potestne fieri, ut mihi photographemata paginarum selectarum (.jpeg, etiam sophophono facta), imagines ope scansionis exscriptas (.pdf), exempla phototypica vel exemplaria ipsa (praesertim quod ad *Pro Lingua Latina Zeitschrift* attinet) mittatis? Si mavultis libellos mihi cursu publico mittere, ipse carmina exscribam et dein nulla interposita mora exemplaria vobis remittam. Sumptus cursuales vel/et impensas ad libellos ope lucis exscribendos libenter solvam et in conspectu gratias agam iis omnibus, qui mihi subsidio fuerint.

Curate, ut optime valeatis.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2		978-3-938905-15-9 001 04A	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA–Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschen- bach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM	7 pp.	€ 17,50

			REYNERI BERLBYN	Raelt			pdf		
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25		978-3-938905-24-1 003 06A	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27		978-3- 938905- 003 26-5 06A	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29		978-3- 938905-28- 9 002 07A	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob/Wil- helm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM QUINTAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE
PERFECIT**

Die Papae Silvestri, 31. m.Dec. a.MMXIII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**